
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
18 1
22



BASSIANI LANDI PLA-
centini, Medici clariß.

ANATOMIÆ CORPORIS HVMANI,

SIVE; DE CAPITIS, CERE-
bri, cordis, pulmonis, ossium, neruorum,
membranarum, venarum, arteriarum, mu-
sculorum, intestinorum, renum, cætera-
rumq; omnium & singularum corporis
humani partium, constitutione
ac cognitione,


LIBRI DVO:

DOMICILIVM IL-
LVD ANIMAE NOBILISSIMVM
corpus, naturæ vires admirandas, artificium-
que præcellentissimum, iucundè, di-
lucidè, ac cumulatè enu-
cleantes:

NVNC PRIMVM IN LVCEM
editi, & duplici INDICE, tàm capitum, quàm
rerum ac verborum instructi.

FRANCOFVRTI,
Typis ac sumptibus Ioannis Spiessij, & Ioannis
Iacobi Porssij.

M. DC. V.



REVERENDO ET ILLVSTRI D. EVCHERIO SANCTOVITALI, Abbati & Comiti, Bassianus Landus

S. P. D.



Vltum diuq; antea dubitaui, quã ad hoc opus aggrederer, quod De cognitione singularum hominis partium à medicis inscribitur, quo genere orationis me ipsum tibi excusarem, qui sæpè, vt cõscriberem aliquid aliud, quod auribus tuis gratius & iucundius esse videretur, multis precibus contendisti. Certè quidem, nisi satisfactũ tibi quàm cumu-

latiſſimè cuperem, à quo multis beneficiis exornatus ſum, barbarus atq; adeò ingratus à cunctis meritò iudicari poſſem. Sed, cum proximis diebus ſignificaſſes mihi, iam corporis humani rationem, vſum, & compagem contemplanti, te, mutata ſententia, miro quodam teneri deſiderio, ea quidē cognoſcendi, quæ nō medico ſoli, ſed omnib. quoq; hominib. liberis liberaliterq́; inſtitutis neſcire turpe eſt: nihil prius duxi, quā vt tibi peropportunè gratificarer. Tum eo maximè, quod crebrò me rogas, & petis, vt quod ſentio de his, quæq; natura nobis tuendæ valetudinis cauſa conſideranda propoſuit,

ſuit, id planè latineq; dicam, & in quàm paucisſima referam. De loquendi etiam formulis illis me percontari ſoles, quas ex partibus noſtri corporis, molliter tranſlatas eſſe, ac parcè detortas, ab antiquis oratoribus poëtiſq;, te ſæpè commonui. Propterea quantum temporis ſuccisſiui datum eſt, eos medicinæ libros attigi, quos arbitratus ſum ad te docendũ erudiendumq; idoneos. Hanc autem meam ſcribendi rationem, ante me (quod ſciam) inſtituit ex latinis ſcriptoribus nemo. Propterea iudico id genus ſcribendi nouum, & inuſitatum, difficilimum mihi fore, atq; (vt ſic dixerim) reprehen-

ſione aliqua vacare vix poſſe. Auguror enim coniectura, nõ defuturos quàm plurimos, qui ſibi quòd in arte medendi totum nomen vẽdicant, ideò rei cognitionem mihi adimant, & inanem quendam ſtrepitũ verborum relinquant. Alios item fore ſubuereor, quorum palato nihil eſſe gratum ſolet, niſi mollis & fermè putris cibi quoddam genus, quod eorum ſtomachus dũtaxat, ſi diis placet, delicatus, & parum firmus, concoquendo ferre valet. Ii ſanè, vixdum quid ſolidi, quidve ſucci res in ſe cõtineat (ita reor) deguſtabũt, cum à ſe reijcient, & cõdituram paulò ſibi commodiorem perquirẽt. Quamobrem

obrem non dubito, quin ab istis delicatulis statim conijciar in turbam illorum medicorum, qui durum & crassiusculum cibum non aspernantur, sed exquisitam nimis victus rationem negligunt. Vt vt erit, nihil est quòd istos morer, quibus plus sapit palatus, quàm cor. Tibi vni hæc scribo, & cæteris, qui in me æquiores esse voluerint iudices. Sanè dabo operam, vt omnes in hoc nouo scribendi instituto, nostros saltem conatus laudandos esse censeant. Nam, etsi ex veteribus scio idipsum diligenter tractasse, vti Hippocratē, Democritū, Empedoclem, Pythagorā, Aristotelē, & plerosq; alios

ex recētioribus, tum Arabibus, tum Latinis: illud tamen difficultatis & laboris multū nobis affert, quòd ex noſtris hodie nullus medicus memoratu dignus literis latinis illuſtrauit: & ſi qui ſunt, qui quidem pauci ſunt, nihil de ſuo dicūt, ſed ſemper de cōmentario ſapiunt. Me certè adiutū fuiſſe aliquatenus à Plinio, nō diffiteor: pluſculū, à Cornelio Celſo: verum non adeò, quin etiam plurima cōminiſci & inuenire noſmet nomina fuerit neceſſe. Id autē minori negocio conſecuti fuiſſemus, ſi deſtitiſſent noſtri medici barbara latinis nominibus confundere, & inuertere. Inde enim tædiū bonis ingeniis eſſe
ſolet,

ſolet,&audiendi legendiq́; impatientia: vt nõ mirum fuerit, iampridem ſtudioſos etiam iuuenes hac arte initiatos, paulatim poſtea deterritos, exanimatosq́;, ſtudium deſeruiſſe: non mehercle artis quopiã crimine, quæ certè innocentiſſima eſt, ſed malorũ artificũ inſolentia. Atq; vtinam Romani veteres, vt pleraſq;, hanc artẽ excoluiſſent. Quod ne tentarẽt quidem, fecit improbitas Archagati Peloponnenſis Lyſaniæ filii: cuius aduentus initiò cunctis mirè gratus fuit, mox in tædium verſus ſæuitia importunitateq́; cum exurendi, tum ſecandi vulnera, carnifex appellatus eſt. Non defuerunt,

qui præterquam quod cadauerũ viſcera ſunt ſcrutati, eò immanitatis inſignis prouecti ſunt, Herophilus & Eraſiſtratus odij autores, vt membratim inciderint, ſpirituq́; adhuc manente, vias ſpirituum anguſtas, cellulasq́; (vt ſic loquar) abſtruſas, ordines, figuras, duritiẽ mollitiem, colorem, conſiderauêre: rati, id mirabiliter medicum iuuare. Hinc ortus eſt vulgò artis, iã cœptæ odio haberi, quidam contemptus, & grauis infamia. At vero Græcis ea acceptiſſima ſemper fuit, Hipprocratis illius, quam præ ſe ferebat in Gręcos omnes, humanitate, & liberalitate. Nãq; is, vt ex Cõmentariis eius conſtat,

ſtat, incredibili quadam pietate omnib. medicabatur, diſcipulosq́; edocebat fideliter, miro auditorum ſilentio, in Academia, quæ hodie etiam marmorea, diſtinctis cellulis, in eius patria viſitur. Barbaros itidem omnes odio proſequebatur, vt Græcorum nominis hoſtes, qua poſſet parte, debellaret. Perſarũ enim ingentib. theſauris inuitatus, ad eos ſeſe cõferre noluit, ſpreuitq́; cõditiones omnes: ita ſanè creuit fama & authoritate, vt in Græcia tãquã numen conſpicuũ coleretur, miroq́; amore ab exteris etiã hominib. viſeretur, & perinde atq; prodigiũ à natura partũ putaretur. Quãobrem cõpulſi

Græci iuuenes, mira ſolertia artem amplexati ſunt, & retinuerunt, arbitrati ex Hippocratis cõſilio, ex ea famam, & ingentem amicorum copiam ſe cõſequi poſſe: magnam etiam ſupellectilem, & precioſam, ex illis ſibi promitti. Non iniuria igitur pauci ex noſtris illuſtres medici emerſêere, plurimi autem ex Græcis. Quare non arti ipſi, quæ quidem digniſſima exiſtit, vitio dandum eſt, ſed artificum noſtrorum paucitati tribuendum, & malo artifici, eiusq; immanitati, ſi quidẽ gratam ingratamq; artem faciunt hominũ mores. Nã cur reprehenderis Mathematicas diſciplinas, ſi malè eis vtetur quiſpiã
Mathe-

Mathematicus? aut cur (quæso) culpaueris Achillis arma, si Thersites eis se tueri nesciat? Sed iam in caussa sat disseruimus, quasi res ex se apertissima, multis verbis, aut lenocinio sermonis confirmanda foret. Tempus postulat, vt ad reliqua transeamus, & institutum iam opus aggrediamur, & mirificā ac propemodum diuinam humani corporis fabricam quàm diligentissimè cōtemplemur: atq; adeò, si non omnium, at certè præcipuarum eius partiū multiplicem vsum cognoscamus, suspiciam', admiremur. Hic naturæ vires, prudentiáq;, & plus mirabile artificū quàm dici aut credi possit, conspicias

licebit

licebit. Hic domicilium illud animæ, vt Philosophiæ deus Plato ait, introspicies. Hic laudabis summos Imperatores & Reges, olim tantum industriæ in cognoscenda corporis sui temperatura posuisse: in qua, ueluti in speculo, humanā sortem intuebantur. Alexandrū etenim illum Magnū, & Marcum Romanorum Imperatorē, historiis traditum esse scis, mirificè in hac cognitione naturæ oblectatos fuisse. Quorū alter quidem, vt erat vir acermi ingenii, sui corporis harmoniam intellexit: alter verò, inter tot tantosq; rerum gestarum triumphos, animaliū naturas moresq; ediscere studuit. Hîc
(credo)

(credo) summis laudibus in coelum efferes Ægyptios reges, & ex Romanis Boëthum & Paulum Segiũ, Consules: aliosque tum doctrina, tum re bellica viros præclaros: quos manib. suis cadauera aut dissecuisse, aut dissectionibus adfuisse legimus. At ne tamen longiore oratione, quàm sum præfatus, detineam, in primis à Medicinæ diuisione mihi sumendum est initium.

INDEX CAPITVM, QVÆ IN PRIMO LIBRO continentur.

INDEX CAPITVM, QVÆ IN SECVNdo libro continentur.

BAS-



BASSIANI LANDI PLACENTINI DE HVMANA HISTORIA

LIBER PRIMVS.

CAPVT PRIMVM.

De Medicinæ diuisione, deq; necessitate & vtilitate Anatomes.



EDICINA in vniuersum (ut Cornelius Celsus ait) in treis partes initio diuiditur: quarum prima, ea sit, quæ victus rationem præbet: altera, quæ medicamenta subministrat: tertia, quæ manuum opera consummatur, ex req; ipsa nomen finitimum sibi vendicauit, ut eam chirurgicam veteres sapientes, nō ab re, dici in- *Medicinæ diuisio.*

 situe-

stituerint. Hanc (vt etiā duas alias partes medicinæ (in θεωρητικὴν, id est contemplatricem: & πρακτικὴν, id est operatricem, pro meo iure, diduxerim. Rursus Chirurgica theoretica in alias distribuitur partes: in vrendi, secandi, suendiq; artes, & eam, quæ singula hominis mēbra sua ratione exquirit, quæ Anatome nuncupata est. Hæc latius patet cæteris partibus, & cognoscenda initio sese offert futuro chirurgo: adminiculatur etiam physico. Nam quo pacto temperaturas, signa, causas, compositiones, membrorum vsus, & cętera id genus dignoscet, nisi membratim, & totum, hoc est in minutissimas partes sectū hominem, oculis, aut saltem ratione, exquisitè fuerit cōtemplatus? vt sine hac cæcos medicos esse contenderim, philosophos etiam spreta hac arte rerū causas reddere nequicquam conari. Quis enim eum iure naturæ interpretem appellauerit, qui principia physica, tempus, perpetuas cœli cōuersiones, Architectum tanti muneris, tan-

Anatomia vsus.

tantiq; operis, Deum, cuius beneficio cuncta motũ ſuum auſpicantur, ratione inuenerit, elementa etiam, & motus eorum innatos: deinde exhalationum, nubium, ventorum ortus & occaſus, fulmina, pluuias, grandines, pruinas, terræmotus, exuſtiones, eluuiones, ſolis lunæque vias deprӕhenderit: hominem autem, & partes eius, quæ oculis noſtris continuè ſubiacent, ac quia oculis ſubiacent, propterea ignoret? Quin ſi procul ab oculis forent, vt pleraq; in id omni ſtudio rueremus cupidi, imagineſq; & commenta confingeremus. Data verò nobiliſſimæ artis occaſione quàm maxima, ab inquiſitione deſiſtemus? Abſit à phiſopho noſtro, hæc ignorationis tam inſignis nota. Videre licet Ariſtotelem, & eius interpretes, qui recentes ſunt, accuratiſſimè artem hanc examinaſſe, quam Anatomen dicimus. De ea itaq; nobis eſſe dicendum inſtituimus, quantum coniectura aſſequi poterimus.

CAPVT II.

De Anatomiæ Definitione hominisq́ nobilitate

Anatome quid.

ANATOME, qua de sermo nobis est, est singularum particularum, extra intraq; adiacentium corpus humanum, scientia contemplatrix, quæ causas vsusque membrorum omnium vestigat. Huiusmodi Anatomē esse scientiam, nobis dari in præsentia petimus, nõ enim ignotum illud est. Hunc igitur in modum à nobis descripta sit Anatome: vt ratione dicamus, Aristoteleoque more, communiora sunt præponenda his quæ sigillatim sumus dicturi. Sanè constat, hominem cæterorum animalium esse nobilissimum, quia in nobilissimis exerceri actionibus & affectionibus debeat. Quod vt fieri possit, apparatibus, & (vt sic dixerim) instrumentis indiguit permultis, quibus in pluribus contemplandis occupari possit. Ita enim fit, ut plurima cogno-

Hominis nobilitas.

cognoſcat, & intelligat, iſtaque quæ ſub aſpectum cadunt tranſgreſſus, cœlum ipſum metiatur, menteſque cœleſtes dignoſcat. Sat itaque habeo (vt paucis colligam) hominem quàm maxime diuerſum eſſe in particulis: quod ita ſe habere, paulo ante inſinuauimus. Simiam porrò proxime accedere ad hominem, digitis & vnguibus, & compertum habemus, & Ennius poeta vetus, illo carmine teſtatus eſt, *Simia.*

Simia quàm ſimilis turpiſſima beſtia nobis:

niſi quod ſimiæ vngues imbricum ſpeciem habent, homines latiuſculi ſunt: genitale diuerſum, atque hoc ſolum diſtat. Quare non iniuria Galenum illum, duas habuiſſe ſimias legimus, & diligenter diſſecuiſſe. Illud autem dictis adijciendum eſt, vt in Commentarijs de Anima declaratum eſt, diſſimilitudinem in corpore omnem, quæ naturalis eſt, ex magnitudine, & multitudine virium formæ ipſius pendere, non enim quodque in quouis ſuſcipitur, ſed certo ac determinato, *Corporis diſſimilitudo vnde pendeat.*

&ad opera obeunda, quæ forma vi sua facit, idoneo. Quod si secus dixerit quispiam, ac nos sentimus, necesse fuerit concedere, inanes & fortuitos esse rerum omnium naturæ conatus: quod homines doctissimi, sapientissimique nullo modo concedunt. His iam positis, tum hominem principio diuidemus in membra sua, quæ particulatim deinceps exequemur.

CAPVT III.

De Diuisione hominis in membra, deq; ossium ratione.

Hominis in membra diuisio.

ANIMAL prouidum, sagax, multiplex, acutum, memor plenum rationis & consilij, quod speculatores venatoresque naturæ vocant hominem, habet ossa, medullam, neruos, membranas, cutem, omentum, adipem, carnem, venas, arterias, musculos, cor, pulmonem, septum transuersum, iecur, stomachum, aluum, intestina, renes, vesicam, penem: de quibus omnibus verba facturi sumus.

Atque

Atque primum ab ossibus exordium sumemus: deinde ad cætera, Dijs ipsis beneuolentib', aggrediemur. Quemadmodum enim boni architecti fundamenta in primis totius ædificij ponunt, quibus ducti, postea parietes, tabulata, tigna, & reliquæ partes commodius & tutius adnitantur, & mutuo cohæreant: sic propemodum videor operæprecium facturus, si de ossibus initio dicam: quæ, veluti firmæ quædam sedes, subiecta corpori, mirabiles commissuras habent, & ad singularum eius partium stabilitatem aptas, & ad artus finiendos accommodatas, & ad motum & omnem corporis actionem. Iure igitur Quintilianus inuentionem ossa appellat, quod vt ossibus corpora animantium sustinentur, ita oratio fulcitur inuentione: sine qua à Themistocle prorsus inanis sermo, & vacuus solidis sententijs, id est ossibus, nominabatur.

Ossium ratio.

CAPVT IIII.

De Oßibus & eorum numero, deq; Commißurarum numero & ratione, cranei'q; foraminibus.

Oßa quid. OSSA sunt corpora sicca, terrestria, frigida, & sensus expertia (quanquam scio ex Arabibus aliquos, cunctis ossib⁹ sentiendi facultatem dedisse) Eorum sanè multitudinē numero sufficienti, ducētesimo & septuagesimosexto, comprehendere diligentes Anatomistæ consueuerunt: è quibus, ossa capitis primum dicenda, enumerandaq; sunt. Hic nimirum non recensebo aliorum opiniones, ne videar, vt tritum verbum est, ex alienis racemis mihi vindemiam facere: neq; Galeni locos penè innumerabiles, qui sæpe medicis ob linguę imperitiā tenebras offundunt, colligam: operosum enim esset nimis, & alienum à nostro instituto. Quid est (obsecro) cur disputē, vtri rectius sentiant de numero ossium capitis.

Oßium numerus.

pitis, philosophi ne an medici? an sibi dicat pugnantia Galenus diiudicabo? qui videtur in suis commentarijs alias distribuisse in sex ossa, interdum in octo aliquando in octo & decem. Mea quidem interesse non opinor, iudicium ferre de re controuersa, & plena dissensionis inter doctissimos, nec apud male feriatum, & parum attentum lectorem, vt ab iniuria Galenum vindicem, meæ nunc sunt partes. Sed tum putabo officium meum fecisse, ac tibi satis fecisse magna ex parte, cũ de partibus corporis, paulo ante dinumeratis, quid sentiam ipse, exposuero. Capitis autem ossa, numero quinario perstringuntur: quippe cuius quatuor sunt ossa vti parietes, & frontati lapides: aliud, vt fundamentum. Quæ vt plane dignoscantur, commissuras quasdam explicãdas censuimus, in eum vsum datas à natura, vt valetudini consuleretur. Sæpe namque fit, vt caput oppletum fuliginibus, & noxijs vaporibus, qui sursum leuitate sua feruntur, commissurarum

Capitis ossa

beneficio exinaniatur, ac penitus liberetur. Quocirca in eam mentem Celsus nunquã me potuit impellere, vt crederem capita, quæ vulgo canina ob id vocantur, quod aut suturis carent, aut pauciores habent, esse firmissima, atq; à dolore tutissima, vel sentire valetudinem cõmodiorem. Equidem semper pluris feci Galenũ in re medica, quàm Celsum: de cuius tamen laude & scientia, per me nunc quicquam nolo detractum. Sed quia Galenus nusquam non scriptum relinquit, huiuscemodi capita naturæ vitio esse sine suturis, & crebro aduersa valetudine tentari & torqueri, propterea in hac sententia permaneo. Commissurę itaq; (tecũ rudius ac planius agam: quod, si vellem magis ad viuum rem ipsam resecare, facilè monstrarem, earum certum numerum constitui non posse) tres meo quidem iudicio sunt, dentatis pectinatim coeuntes compagibus, vna anterius caput, altera posterius caput, tertia medium caput possidet. Prima commis-

Celsus notatur.

Commissuræ quot.

sura

sura ῥαφὶς στεφανιαῖος dicitur: hoc est, vt verbum verbo reddamus, futura Coronalis, quandoquidem in ea potissimum capitis parte coronæ locantur. Altera, λαμβδοειδὴς nominatur, quia literam græcam λ refert. Mediam, quæ excelsior est, sagittę modò natura effinxit, & satis longè egit: vnde nomen inuenit. Prima os vnum facit, quòd Occiput, siue tu mauis Occipitium, dicimus: secunda, Sinciput: media, quæ Vertex dici potest, duo ossa vtrinq; constituit, quæ duo Tempora appellabimus, quartum est, quod Basiliare aliàs dictum, cæteris subsidens & stratum ossibus, nos imum dixerimus. Atque eæ dentatiles lineæ, manifestiores in viris quàm fœminis esse solent, quamuis tradat Aristoteles, olim repertũ indiscretum caput, vt etiam cancris contingit. Alij autem testantur, caput visum septem disterminatũ scissuris, sed hęc raro visa sunt. Hos autè scissus treis constituit consultrix & prouida Natura, vt vapores putres fortassis (quemadmodum paulo

Coronalis. *Lambdoides.* *Media.* *Occiput.* *Sinciput.* *Vertex.* *Tempora.* *Basilare os.* *Imum os.* *Commissurarum ratio.*

paulo suprà te monuimus) in cerebri ventriculis elati, vanescerent exitu per commissuras libero. Multi aliis rationibus id confirmare conantur, quas futiles existimauimus.

Craneum. Olla. Caluaria. Os Craneum dictum, quam nos ollam, vel caluariam vocemus licet, non perpetuò durum est, sed celsiores eius partes, tenuiores & rariores esse dicimus: compactiores verò & firmiores partes, quæ latera circulò caput obsident, quippe quæ cerebrum ab intentis & ingruentibus magis periculis tueri habeant, neque egressum petentium fumorum summa, præpediant, occludantque. *Cranei forma.* Cranei forma capitis, quam ex materiæ raritate patere diximus, ea conuenientior videtur, quæ proximè ad spheræ figuram accedit, iuxta tempora parumper complanata. Sphera siquidem, occursantibus quibusuis corporibus, secundum minores partes obuiam fit: quare, & minimè læditur. Complanata propterea facta est, tum vt ventriculi, quos intra se cerebrum

brum habet, suis omnes locis decentius discreti locarentur: tum ut nerui, qui mouendi sentiendiq; vim afferunt reliquis corporis partibus ortus suos nulla confusione recognoscerent. Non enim partem anteriorem, quæ quidem humidior esse debuit, ubi sensus reponūtur, auersæ parti sicciori pro retinendis custodiendisq; tenaciter rerum formis par fuit circumfundi, sine temporum quopiam discrimine. Occiput autem ipsum exterius aliquanto prominet, pariter & sinciput, ut formam quasi sphæralem (hoc verbo per veniam liceat) quoad potuerunt, retinuere: ea sanè re, ut neruos, qui sensum motumq; præstant, commodè munirent ac defenderent, si quid mali fortè fortuna accideret. Cranii itaq; figura conuenientissima hunc in modum à nobis descripta est. Indecentes autem figuræ eæ proditæ sunt: si caput eam quæ antè est partem planam haberet, aut eam quæ humeros conspicit: postremò si caput sphæram usq; quaque præ se ferret, sed figura,

Cranei figura indecentes quæ.

figura, quæ tempora vtraq; oblonga, occiput sinciputq; compressa deposcit, humanæ vitæ inutilis, aut (vt Fabij Quintiliani verbo vtar) impossibilis iudicata est. Qui enim fieri potest, vt conceptacula illa tria, sine quibus homo esse nequeat, cerebrum quod intra craneum continetur, sub huiusmodi figura concluderet, aut distingueret? Craneum est extrà quidem leue, & politum: intrà autem, sicut cætera ossa, scabrosum, & asperum: ea nimirum ratione, vt membranam supremam, quæ cerebrum velat, & inuoluit, suspendat, ne duritie eius illud comprimat. Verumenimuerò in cæteris ossibus, non ista de causa, eminentia illa ossiculorum comperitur. Nam subest ratio alia, vt medulla, quæ intra abditos & cauernosos sinus eius suscipitur, ex huiusmodi asperitate pertinacius hæreat, ipsumq; os confoueat. Foramina habet duo sub ambobus cilijs, loca oculorum, ad quæ vtiliter accurrunt nerui lucis ministri; duo, quò nerui odoratu famulantes,

Cranei foramina.

pro

pro vtraque nare prorumpunt, duo in temporibus, non sine ratione neruos auditioni obsequentes recipientia. Foramen aliud è posteriore capitis parte erumpit, quo de spina medullæ egreditur. Alia etiam habet ora imum os, velut illud, vnde neruus gustatus minister exit: aut illud, vnde dimittitur vuluæ neruus tactionis, siue tu mauis, tactilis: aut illud, vnde destillationes, & omnia fluxionum genera, quæ rheumata Græci vocant, sese demoliuntur. Paulo infra oculos visuntur cunctis immobiles, præterquàm crocodilo, superiores malæ: post has, inferiores, quas solas inter capitis ossa, iunctio nodatilis, vt moueri queant, mira arte committit. Quod autem iuxta est inferiorem malam, in acumen eminens, mentum dicitur: quod soli homini inesse creditur, & similiter malæ.

Malæ

Mentum

Capu†

CAPVT V.

De Dentibus, eorumq; definitione, vsu, discrimine, numero, nomine & eulsione.

Dentes sentiunt. DENTES, quamuis mea quidem sententia nomen ossis nulla ratione sibi vendicent, propterea quod ij fermè neruis adherescentes sentiunt, ossa verò nullo sensu prædita sunt, ut locupletissimus testis est Galenus, qui cũ *Ossa sensus expertia.* errare mehercle malo (tu quãti faciam eum, & quantopere admirer scis) quam cum certis, quibusdã Arabibus ac barbaris hominibus vera sentire: eorum tamen, iuxta vulgatiorem sententiam, inquisitio, hoc loco non fuisset iniucunda, nec incommoda, nisi mecum statuissem in hisce Commentariolis à controuersiis & difficilimis quæstionibus abstinere, quas in aliud tẽpus magis idoneum distuli, & in volumẽ summis laboribus studioq; diligẽti ab hinc paucis mensibus conscriptum reieci.

Dens quid. Dens generalitet id omne appellatur, à quo

quo aliquid teneri, vel extrahi poteſt. Vndè Virgilius ſexto Aeneidos.

Tum dente tenaci Anchora fundabat naues

Dentes verò hic ſunt, quibus in ore conſtructis, manditur, extenuatur, & molitur cibus. Eos, tametſi Homerus ad compeſcendam garrulitatem homini datos, illo verſu indicauit, *Dentium vſus.* I.

Ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων.

quem crebrò vſurpat, & repetendo nos planè admonet, à Natura linguam vallo dentium cinctam eſſe, & ſepto labiorum circumductam (cum ipſa aures alioqui patulas dederit) vt parcè loquamur quæ audiuimus: nihilominus crediderim ego, ea factos occaſione, vt cibum conficerent, ſtomachoq; præpararēt. Acceſſit ad hoc, oris pulchritudo, II. & venuſtas quædam, Quā enim turpe eſſet, hominem edentulum viuere, cuiuſmodi Pherecratem poetā fuiſſe, memoriæ produnt (is namq; nullum prorſus dētem habuit) animaduertas licet, in quibus conciderint aut ſenecta; aut ui pernicioſi morbi. Nō mediocris etiā III.

 eſt co-

est eorũ usus, ad vocis explanationem. Dentes cũctis animalibus communes sunt, præter volucres, è quibus vespertilio solus dentescere traditur. Dentes aut sunt serrati, vt serpentibus, piscibus, & canibus: aut continui, vt homini equo, & simię: aut exerti (vt cætera animalia taceam) vt apro, & elephanto. De continuis, nobis est dicendum, qui hominibus conueniunt. Singuli duos & tricenos dentes plerunq; habemus: rarius octonos & vicenos, aut tricenos dũ taxat. Quatuor infrà, supraq;, qui primores vocantur, anterius proferimus: caninos vtrinq; duos, vt escas paulo duriores diuideremus. Maxiliares postea ab utroq; latere quaterni, quiniue enati sunt: intimi autem, qui genuini vocantur, in extrema gingiua homini gignuntur nouissimi, sæpius circiter vicesimum annũ, quos nullũ animal commutat, cæteros autem homo reponit. Sed leo canisque appellatos caninos amittit, & instaurat: conuulsi vtcunq; homini nunquàm renascuntur. Dẽtis autem

Dentium discrimina

Numerus.

Nomina.

autem euulsionem (vt obiter istud te admoneã) Aesculapium primũ excogitasse, & adinuenisse, Cicero tradit. Suibus semper immutabiles sua sponte multi commemorãt: boues bis decutere, bisq; redimere. Cũctis præ senio rubore conficiuntur, præter senescẽtem equũ, cui albescit perpetuò ea dentium structura compagoq;. Equidem, quia mentio est de dentibus, & nihil scitu dignum, studiisq; tuis commodum celare te cupio, pro meo iure illud adiunxerim, sæpissime à veteribus historicis tradi, aliquos fuisse dẽtatos plus minus. Memini quidem me legere, Timarchũ Mestoris Cyprij filiũ, duplicem habuisse dentiũ ordinem, Herculem verò triplicem. Direptinam etiam Mithridatis filiam, vtrinq; gemino dentium septo deformatã esse. Euripheum item Cyreneum, & filium Prusiæ Bythiniorum regis, habuisse in superiore maxilla vnum modò os pro dẽtibus: id cum rarissime fiat, inter miracula naturę, iure [illegible] enseri credo: quorum certa ratio

Dentis euulsio.

Dentati.

vtrum reddi &explicari possit, viderint ipsi, qui rerum cognitione doctrinaq; delectantur, atq; de sua vi ac sapientia soli penè omnia profitentur. Ego sanè vix adduci possum, vt mihi persuadeā, ea omnia, quæ sunt supra captum humanum, referri posse in causas naturales. Multa nobiscum de his cogitamus, & commentamur quàm sæpissime, atque certa rataq; haberi volumus, quæ temporis progressu, nescio quo malo fato splendida cōmentitia, & quasi inania quædā insomnia esse deprehendūtur. Si ergo ignorantur posita ante pedes, nihil erat profectò, cur Physicorū nostrorum quidem, tātopere cœli plagas scrutarētur. Sed ne deriuem in me odium, veritatis defendendæ ergò, longius oratione nequaquam prouehar. Quinimo de dētibus cū illa dicta compendio sint, transibo ad spondylos, qui spinam longo spacio porrectam constituunt.

Caput

CAPVT VI.

De Spondiilis & eorum contextu, & ratione, deq; humerorum brachiu, manuum, pedumq; ossibus.

CRaneū, foramen habet, quod iuxta gulam esse videmus: ex quo longis interuallis delabitur medulla quædam, per humeros, dorsum, lumbosq; concameratim spondylis munita triplicibus: quorum graciles septeni, sunt caui dupliciter læua dextraq;, vt nerui huc illuc ve pertenderent, his quidem ceruix coalescit (nihil enim refert, an ceruicem collumue appellemus) quibus subsunt duo & deni grandiusculi, qui subinde costas pectoris è regione conferunt, septemq; ossibus thoracis, quod in media parte pectoris cōpressa, interiectis cartilaginibus coit, quinos etiam breuiusculos attollunt. Rursus autem sunt quinæ vertebrę (an spōdylos nominare malis, non multum laboro) quas ilia supprimūt, atq; ita quatuor & viginti spondyli enumerantur. *Spondyli.*

 Quod



Quod si plures paucioresve reperiantur, sicut capita vitiatæ figuræ, quæ fastigiato sunt vertice, præternaturam sunt. Horum ergò compago, & contextus omnis, in ceruicem, siue collum dorsum, lumbos diuiditur. Ceruix capiti annectitur, huic deinde dorsum: cuipar inest, quæ & pectori, longitudo, hanc sanè totam partem, scientiarum omnium parens Homerus, eo breui hemistichio perstrinxit,

Spondylorum contextus.

Καὶ τὶ βαρὸν μετάφρενον ἐν δόρυ πῆξε.

Quod subest reliquum, lumbi appellãtur, quorum pars vltima sacro, latóue (vt nonnullis placet) ossa finitur, portò idipsum os, sacrum dici ea ratione putatur, quia partus tẽpore, diuinitus aperiri aiunt diligentes authores, eductoq; fœtu solidescere, occulto naturę artificio, aut sacram nuncupationẽ habuisse, quoniam Diis offerri soleret: ex quo dixit Menander, οἱ δὲ τὴν ὀσφὺν ἄκραν θύοντες, aut (quod mihi sit verisimilius) quoniã Græci veteres, quicquid ingens ac præclarum haberi volebant, sacrum vocare

Lumbi.

Os sacrum.

Sacri appellatio.

vocare consueuerunt. Nam ἱερὰν θάλασσαν, latum mare: ἱερὸν ἴλιον, amplũ Ilium: ἱερὸν μένος ἀλκινόοιο, sacram vim Alcinoi, quàm sæpissime tuus Homerus, atque idem noster, appellat. In eandem sententiã iuit Plutarchus Cheroneus, scriptor mea quidem sentẽtia valde disertus, sed parum eloquẽs. Testatur enim in libello, qui inscribitur, Vtrum in terrestribus scilicet, an aquatilibus brutis insit maior prudentia, ἱερόν, quod deinde Græcis sacrum significauit, antiquioribus grande significasse, eaq; vocis huius æstimatione ἱερὸν ἰχθὺν ab Homero nominari, & sacrum hoc os, in antiqua medicina & Anatome, & ab omnibus comitialem morbum, sacrũ, quod grandia essent, nominata fuisse. Quamobrem sacramento ausim contendere, Virgilium Homeri studiosissimum & amantissimum, Mortalium pectora cogi sacra fame auri, dixisse, hoc est magna cupiditate auri coacta, sceleribus plerunq; obstringi, & in vetitũ nephas proruere: quanquàm scio à Seruio

ἱερόν.

Virgilii locus.

Grammatico id ſacrum dici, quod eſt execrabile: cuius ſententiæ Budæus libenter ſubſcribit, ac tota ferme interpretum turba. Mihi tamen placet, eum in modum, quem protuli, Virgilium interpretari. Suum cuiq; eſt iudicium: & quot capita, tot hominum ſententiæ ſunt. Age vero curſum orationis eo reuocemus, vnde deflexit.

Hoc ipſum itaq; os ſacrum, ex tribus particulis, ſiue tu magis probas, quatuor, tanquam ex peculiaribus quibuſdam vertebris, quæ quidē infra renes collocantur, conſtructum eſt, has poſtremo conſequuntur totidem aliæ vertebræ, vnde os aliud natura conformauit, quod Coccyx nominatur à Galeno, Cauda ab aliis, à nonnullis ὀῤῥοπύγιον: quod nomen magis auibus conuenit: latinum certè verbum, & propriū, reperiri vix poſſe credo. Spondylos autem his potiſſimum de cauſis homini tributos aſſeuerauerim, tum fundandi corporis gratia, complectendiq;, tum ſpinæ medullaris continendæ, vnde

Coccyx. Cauda. ὀῤῥοπύγιον.

Spondylorum ratio.

maxima

maxima ſenſus portio nobis eſt. Vt enim nauigij fundus lignis ædificatus, & ad amuſſim intextus, proram & puppim cæteraſque partes corroborat: ita mediusfidius vniuerſa corporis compago, ad ſpondylos adnixa, valide cohereſcit, nullaque dehiſcit in parte. Si vnico & perpetuo oſſe coaluiſſet, pro tot ſpondylis, minus quidem periculis obiectaretur extrinſecus intentis, ſed motus commoditas interdicta fuiſſet. Iccirco intelligens ſapiensq; natura, in actionis vſum & officium toto pectore incubuit, vt artus tam mirabiles & diuini, quos molitur & conficit, arcus inſtar, cum dorſo verti ac deflecti poſſent. Nec etiam, ſi dorſum ex tribus aut quatuor oſſibus, vt tibiæ, vt manus, ad ſeſe mouendas commodæ, efformatum eſſet, id motionis genus flexæ, fractæq;, & in curuum aſcendentis, imitari potuiſſet. Sed antequam ad ea venio, quæ ſeſe dicenda offerunt, humerorũ, brachij, manuſque oſſa: hic in tranſitu te ſcire volo, id eſſe os femori familiare,

Os pubis. quod (à nobis interim vocetur os pubis, aut pectinis) vesicam, vterum rectumq; intestinum ab occursantibus, sinu suo coërcet. Illud quoque nobis Scapula. Humeri. Spatula. sumemus, scapulas, humeros, & spatulas vnius rei nomina esse: eaque bi-Humeri os. na sunt: singulum læua, dextraque habent. Porrò humeri os omnium latissimum (femur semper excipio) esse cernitur, ne pectoris musculos præpediat, quin adiuuet potius, atque eos, veluti amplissimę quoddam genus armaturę, muniat: idq; vtrinq; supra infraq; alligatum est: à Græcis ὦμος, & ὠμοπλάτη dicitur. Summa eius pars grandiusculum habet caput: in eo iuxta anteriorē partem ũnus quidam est, qui totum ipsum caput in duo veluti tubercula diuidit. Sinu humeri miro naturæ artificio inseratur brachium, quam ex Latinis quidam vlnam dixerunt. Vlna. Inde ad cubitum extenditur, vbi est flexio, vt Cubitus. commodius iungantur amplexus, & omnibus vlnis, quod nobis charũ est, id facilius excipiatur. Postea infra cubitum

tum

tum apparent ossa, arundines appellata, siue vt vulgus medicorum loquitur, focilia: ex quibus bina singulæ manus supra se parili sede suspēdunt, quorum vnum πῆχυς, hoc est inferior cubitus nuncupatur, in glabra residens parte: in hanc partem leue vulnus Achillem accepisse, ab Asteropeo Pelegonis filio, testatur Homerus, *Arūdines.* *Focilia.* *πῆχυς.*

Τῷ ἑτέρῳ μὴν πῆχυν ὑπεγράβδην βάλε χειρὸς
Δεξιτερῆς σύτο δ' αἱμακελαινεφὲς.

Alterum autem κερκὶς, superior cubitus, siue magis tibi probatur, radius. Infernus cubitus paulo longior superno est, partē sortitus setosam: in cuius extremo facta fouea, καρπὸν, id est brachiale os comprehendit: atq; infrà ambo in cubiti flexū nodantur. Post arundines, siue malleolos, disparia octo cōparent ossa, quibus manus vola, duplici ordine (sic loquar) seriatim dispositis coalescit. Visa tamen est vola in dissectione furacis viri, quam meis oculis conspexi, semel atque iterum, cum nomen *κερκίς.* *Radius.* *Carpus.* *Malleoli.* *Vola ossa.*

uem ossiculis, quasi natura pręsaga mali, hominem ad furta præmunierit. Subeunt postea quatuor ossa, eam partem à Græcis quidem μετακάρπιον, à nostris verò medicis manus pecten dictam, adnectentia: is pecten ex re nomen habens, nodoso coitu, simillimoque nexu in quatuor digitos exit. Quorum qui minimus est, auriscalpus eatenus à nobis dicatur, donec nomen decentius vestigauerimus. Alius grandiusculus eum sequitur, quem plurimi annularem, vel medicinalem dixere. Annularis inde nominari (credo) cœptus est, quòd veteres Græci annulum haberent in digito sinistræ manus, qui minimo proximus est. Romanos deinde homines aiunt sic plerunq; annulis vsos, propterea quòd dissectis apertisq; corporib. humanis, repertum est, neruorum quendam tenuissimum ab eo vno digito, cuius nunc fit mentio, ad cor hominis pertinere. Iccirco haud ab re visum fuit, eum potissimũ digitum tali honore dignari, qui continens, & quasi

μετακάρπιον.

Digiti eorumq; nomina.

Auriscalpus.

Annularis.

quasi connexus esse cum principatu cordis videretur. Proxime occurrit medius digitus, cæteros longitudine omnino excellens: qui alio nomine dictus est verpus, à verrendo podice: & ob id forte impudicus & infamis vocatur à Poëtis: cum enim is porrigebatur, signum erat derisionis, & contumeliæ. Martialis: Medius.

Ostendit digitum, sed impudicum,
Alconti, Dasiq;, Symachoq;. Idem lib. 2.
Et digitũ porrigito medium. Iuuenalis
—Ipse minaci *(unguem.*
Præberet laqueum, mediumq; ostenderet

Persius, *—Frontem, atq; uda labella,*
Infami digito, & lustralibus ante saliuis
Excipiat.—

Diogenes hospitibus videre cupientibus Demosthenem, non indice digito, sed medio porrecto, monstrauit: parum virum innuens, & effœminatum. Idem quoque tum satis indicauit, porrectione medij digiti, quidpiã obscœnum significari, cum dixit, insanos haberi, qui medium porrigant digitum, qui

qui indicem non item. Mox superuenit Index, aliàs salutaris à veteribus dictus, medio digito paulo breuior. Demum è regione Pollex, ita nominatus, quod vi & dignitate polleat, inter cæteros quatuor (vt ait Aristoteles) conspiciendus attollitur: nō enim minus quàm tota manus semper in officio est. Quare Athenienses sciuerunt, vt Æginetis, qui classe valebant, pollices præciderentur: quippe qui cognoscebant, maiorem potestatem inesse in hoc digito, quàm in reliquis. Hoc loco te admonitum volo, veteres Romanos, vt ab alijs corporis partibus, sic à digitis quasdam loquēdi formulas perbelle transtulisse. Quemadmodum enim dicimus frontem corrugare, id est, moleste ferre: exporrigere frontem, id est hilascere: olfacere, id est resciscere: degustare, id est experiri: ita etiam, pollicem premere, pro fauere: digitum tollere, fateri se victum: digito caput scalpere, hoc est cogitare: digito cœlum attingere, id est fælicem esse: duobus digitis

Index. *Pollex.*

A digitis loquendi formulæ.

gitis accipere, id est parcè sumere: digitis crepare, aut digiti crepitu significare, id est superbè, & quodam fastu aliquid poscere. Aliæ sunt huiusmodi propemodum dicendi rationes & formæ innumerabiles, quas tu ipse in cõmentarios tuæ Philologiæ, diligenti studio de bonis scriptoribus colligens, referre cottidie soles: propterea, nisi perpaucas obiter, non attigi. Digitos sicut Mineruæ consecrauit antiquitas, ita dicauit Iunoni brachia. vnde Homerus vlnis candidis eam sæpissimè decorat. Neptuno pectus, renes Veneri, pedes Mercurio, frontem Genio, & singulos artus singulis dijs dedicauit, quod existimabat religionẽ quandam illis inesse, & coli oportere. Sed de ritibus & institutis veterum, satis superque diximus in nostris Epiphylidibus. Redeamus igitur illò, vnde digressi sumus. Digitus omnibus commune est, tribus officulis constare: quamuis ex eis quidam breuiusculi, quidam longiusculi esse probentur. Humeri in eo nobis

Digiti Mineruæ sacri, Iunoni brachia, &c.

Bassiani Epiphylides.

nobis adſunt; quòd plurima (vt iam præfati ſumus) quæ occurrere poſſent impedimenta, arceant: ſimul & os, quod brachiale nos antea appellauimus, nodo ſuſpendant. Arundines eapropter binæ fuerunt, vt vnam ſupinandi, alteram reſupinandi brachij facultatem præberent. Vola illud nobis miniſtrat, quod plicabiliorem coniunctionem, quàm maxime neceſſariam manui, reddit. Quàm verò tota manus ſit vtilis, illud indicio ſit, quia ea ab antiquis philoſophis inſtrumentum inſtrumentorũ nuncupata ſit. Nam cum homini per neceſſarium ſit modò capeſcere, tangere, attrectare, contrectare, modò repellere, modò tentare, ſibique quippiam fabricare, id totum officioſa manus præſtat. Pollicis autem ſedes commodior eſt, quàm ſi in medio manus foret. Nam cum magnũ quiddam, molle & lubricũ præhenſaremus ambabus manibus (vt plerunq; cõtingit) tunc impedimẽtum inde fieret inſigne, neq; tam capaci ſinu illud tolleremus.

Manus vtilitas.

Pollicis ſitus.

remus. Non item eodem tramite gregatim, cum cæteris digitis concretus est pollex: ea nanq; ratione nihil aut comprehendere, aut retinere nostrarũ esset virium. Neq; postremum eiusdem magnitudinis omnes esse, Galen⁹ ille Pergamenus prudentissimè (vt cuncta) solerti ratione perquisiuit & edocuit. Nã proposito nobis termino magnitudinis rerum capiendarum vltro citroq;, minutissima quæque detrahimus duobus digitis, pollice, indiceque, perinde atq; iunctis volscelis: grandiuscula, eisdem apposito simul medio digito tollimus: maiuscula, etiam addito annulari capescimus: ad maxima demũ auriscalpus, cæteris vim digitis confert.

Manus in plures digitos distributio.

Manus in plures digitos distributio ob eam causam facta putatur, vt cuiuscunq; figuræ, modi, moles circumprehendi posset. Ita enim fit, vt orbes, quadros, triangulos, cæteraq; id genus, capaci manu rapere, sufferre, attollere, circumferre, deijcere, contorquereq;, quoquò versus possit homo, Ideoq; ar-

tificiosa, & planè artifex Natura, non cōcedit homini senos digitos, nisi prodigiose quandoque iocetur nobiscum: vt in liberis Caij Horatij contigisse memoraratur: ob idque ipsum ambæ sunt Sedigitæ nominatæ, Volcatiumq; vatem egregium Sedigitum appellatum legimus. Rursus initio sumpto, dicere tentemus, os illud quod in inguinibus ostenditur, spondylos omnes supra se ferre, & paulo post caueam facere, qua os coxæ, Crus dictum, miræ magnitudinis, cæterorum valentissimum comprehendit: quod gibbū constituit Natura, accubationis, vel sessionis gratia: quæ soli, inter cætera animalia, homini concessa dicitur. Magnam istud os partem medullæ intra penitus infundit, qua posset affatim recreari, allata occasione laborum, quos debet sustinere maximos. Quod nisi animaduertisset optima & præstantissima Natura, in vehementissimam nimirū cecidissent siccitatem. Istud coxę os quoties vertebrum egreditur, crus cōtabescit, ac pe-

Sedigiti.

Os coxæ.

Medullæ vsus.

nein-

ne intermoritur, occlusione venarū facta, quod difficillime ad locū priorem reuocatur. Infrà subsident duo ossa, vnum ponè, alterum antè: hoc crus, illud tibia nuncupatur, vnū talo cohærens, preter modū intumescit, cū suprà gracile fit: aliud contra sese socio omnino respondet, taloq; ipsi sese applicat: qui etiam asino Indico, vni solipedum, concessus est. Inferna hec ossa, superiori, os quod patella, ab alijs palmula, à nostratibus mola nuncupatur, firmissimè adiungit, cohibetq;. Ad hæc superuenit os quadrangulam figuram referēs, vt telluri planè defigatur: hec enim stationi firmissimæ cōgruentissima est figura. Deinde monstratur os, quod ad cymbæ similitudinem σκαφοειδὲς dicitur, Mox ταρσὸς, quæ vulgò raseta pedis appellatur, quæ quidē vsq; adeò ab ea quæ est in manu differt, vt ista ex quinis ossibus constet, illa ex quaternis, quemadmodū suprà docuimus: quod inde fit, quia pollex pedis eadem regione cum cæteris digitis cōparuit, quod

Crus. *Tibia.* *Talus.* *Patella.* *σκαφοειδὲς* *Tarsus.*

ibi esset sistendi insignis necessitas, non capescendi: atq; ideo vni ex ossiculis rasetæ nedis, supra ea quæ in manu sunt, vna eademq; planicie astringitur. Pollex pedis binis ossibus componitur. Pollicem autem in pede dextro (vt obiter id etiam attingamus) fuisse Pyrrhi regis cõmemoratur, cuius tactu lienosi curabantur. Digitorum verò pedis nomina his, qui manus sunt, sine discrimine respondent.

Pollex pedis.

CAPVT VII.

De Cornibus & Vnguibus, illorumq; vsu, & incrementis.

TAMETSI hominum genus à se cornua abdicauit, fortassis operæ fuerit precium hoc loco quippiam dicere. Cornuum materiam admodum esse terream, eo deprehenditur, quòd ijs duntaxat constant animalibus, quæ terream molem maxime participant, grandioraque sunt, quo pauciores habent pilos, simul quòd iure intellecta cornua, quadrupedibus solis concessa sunt:

De cornibus.

ſunt: aquatilibus namque, & volatilibus, non rectè dixeris cornua: aut enim cornicula, vt phaſianę, parræ præterea galeritæ, pauoni crinita arbuſcula, fulicis cirros, draconum generi criſtas. Cornua varijs ſunt diſtincta figuris: nam hæc in ramos panduntur, vt ceruorum & caprearum, ſed caprearum minora: hæc in palmas digitoſque effunduntur, vt πλατυκερώτων ſimplicia, & directa alia in cœlum, alia in terram, vt Troglodytarum, propterea obliqua ceruice paſcuntur. Adunca alia ſunt, & anfractibus contorta: alia, vt arietum: alijs apices congruentiori nomine attolluntur: bina ferè cunctis ſunt, paucis ſingula, vt rhinoceroti, & aſino Indico. Nec credendum, connaſci tantum primores dentes non habentibus, vt plurimi dixere, peruerſa dictorum Ariſtotelis obſeruatione. Nam quia Ariſtoteles dixit, cornuta magis animalia pilis carere, piloſiora autem in cornua minus, aut certè nihil armari, vt equis contingit, & leonibus, propterea *Cornua quibus naſcantur.*

ſunt rati, ſine dentibus animalia in cornua eos abſumere, ſed facilè coarguuntur, parum attendentes ad id quod dicunt. Nam bonus Ariſtoteles ratione efficaci munitus eſt, iſti nulla. Etſi enim verum eſt illud, quia & pilis & cornibus eſt exitus, non tamen Ariſtoteli id viſum eſt, ſi illorum alteri non patêret exitus (verbi gratia) ſi cornibus non foret locus, error eſſet, putare, quò minus piloſum ſit animal, eò cornibus magis abundare: aut retrò commeare, ſi minus cornibus abundat, eò piloſius, ſi pilis obſtructa foret ianua. Quod etiam ſi dederimus, nihilominus nō conſequitur, Non habet dentes, cornua igitur habet: neque ex aduerſo bellè efficitur argumentatio, vt Dialectico notiſſimum eſt. Ceruarum autem natura peruerſam illam ſententiam labefactat, & explodit: nam neque dentes habent, vt neq; mares, nec tamen cornua. Nunc tempus eſt, pauliſper egreſſi vt ad inſtitutum opus regrediamur.

Cornuum vſus.

Cornua ad multa vſu veniunt mortali-

tali...: qui boream Barbari inhabitant, vrorum cornibus bibunt, alij hastarum loco, præfixa cuspide è ferro his armātur. Nostrates ad multas delicias conferunt: ex Italis Regienses, viri mehercle non ad omnia summa literarum studia solum nati, sed etiam à Deo ficti, ad quoduis opus ex auro vel argento vel ære formandum, & expoliendum, mira quadam arte, resecant in laminas quàm minutissimas, aut in truncos triquetræ figuræ, vnde modó pedites, duces, reges, equos, turres, bellissimè eum ad vsum effingunt, vt mortalium mentes eo genere lusus oblectent, qui à lusu ciuitatum antiquissimo, mea quidem sententia, ductus esse videtur: modò currente rota in spheras precatorias, & figuras conglobatas rotundant. Interdum crassiora cornua in pectines dentescunt, in fœminarum & puerorum vsum: aut excauantur felicissimè, in varia vascula, commoda tum scribis, tum literatis viris: tenuia interdum explicantur ad laternarum

opus, atque ad alia quæ pernecessaria homini, & maximo vsui fore ab eis existimantur.

Ceruorum cornua.

Ceruorum cornua caduca singulo vere, & decidua, ob eam fortassis rationem, quod ea ab cute eorum tantum emergunt parum fixa, cum cornua cęterorum animalium osse sustententur: aut quod, cum extra prominentia sint, & nusquàm in profundo abstrusa, soli ceruo contingit vt collabantur. Ex illis quod dextrum est, defodiunt, vt nisi quæsitum non inueniatur, atque (ut ait Aristoteles) nunquam inuentum cōparuit adhuc. Atqui forte aues scire, cur vere potissimum ceruis cornua decidant. Equidem propterea id esse opinor, quia nec æstate conuenit, si cœlo æstuante humores exhalant, & imminuuntur: nec autumno, si siccus sit, nec hyeme. Nam quî fieri potest, si humorem lentum, & glutinosum exuberantem reddat? Ver autē huic commodissimum inuenimus, quia humor nō apprimè tenax eliquescit. Cornua

item ambo accensa, serpentes arcent, comitiales morbos, ictericiam, tormina, exscreatum sanguinis, & lumbricorum minutam turbā peculiariter abigunt: sed dextrum nobile magis est, & præstantissimi medicamenti. Ceruo excisis testibus, cum nondum per ætatem cornutus fuerit, vt est sine cornibus, ita viuit: at verò excisis cornigero, neque increscunt, neq; excidunt, sed seruantur perpetuò eadē magnitudine. Cur autem ea in ramos surgant vsq; ad sex annos, trimis quidem bifidos, quadrimis verò trifidos, illud in causa esse reor, quia animal sit maxime abundans eo succo, qui cornibus conuenit, is est atra bilis: quippe cuius caro bilem atram, maximam sui partem sibi vendicet: quartanam enim febrem suapte natura commouet, quæ rarò occupat corpus. Aliis porro trium febrium generibus homo vexatur, & torquetur. Ideoq; compertum vsu authores produnt, degustantes mane carnes eius, nō sentire febres. Sanè ceruis vitam longam *Ceruorum vita longa.*

gam esse, quanquã videtur esse præter institutũ præsens, te commonere, non tamen putaui ingratum fore, si hoc ipsum, quia memini de ceruis, etiam adiungerem: in confesso esse, centum annos amplius viuere: quos cornicibus viuaciores esse. Hesiodus scribit, varias animalium ætates sic complectens.

Ἐννέα τι ζώει γγγενεὰς λακέρυζα κορώνη
Ἀνδρῶν ἡβώντων, ἔλαφος δέ τε τετρακόρωνος.
Τρεῖς δ' ἐλάφους ὁ κόραξ γηράσκεται, αὐτὰρ ὁ φοῖνιξ
Ἐννέα τὺς κόρακας, δέκα δ' ἡμεῖς τοὺς φοίνικας
Νύμφαι ἐυπλόκομοι κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο.

Versus hos videtur interpretatus quidam, quisquis fuerit, extat tamen carmen inter reliquas Virgilij appẽdices, propterea non verto: sed condonans id meæ inertiæ, interea alieno labore per te fruar licet.

Ter binos, deciesq́; nouem superexit in annos,
Iusta senescentũ quos implet vita virorũ.
Hos nouies superat viuẽdo garrula cornix.
Et quater egreditur cornicis secula ceruus

Alipe-

Alipedem ceruum ter vincit coruus, at illum (ales.
Multiplicat nouies phœnix, reparabilis
Quã vos perpetuo decies præuertitis æuo
Nymphæ Hamadryades, quarum longissima vita est.
Hi cohibẽt fines viuacia fata animantum
Cætera secreti nouit Deus arbiter æui.

Eandem hanc sententiam Hesiodi, breuiter & feliciter (vt solet omnia) perstrinxit Plinius: Hesiodus, inquiens, cornici nouẽ nostras ætates attribuit, quadruplum eius ceruis, id triplicatum phœnici, etiam si nonnullis autoribus hæc fabulosa videntur, inter quos Aristoteles, qui arbitratur homine nullum aliud animal esse viuacius, excepto vno elephanto. Ex his itaq; planè cognoscis, ceruum esse animal admodũ viuax, & hominem esse quàm infelicissimũ, quippe cui præ tot animantibus brutis, tam exiguum vitæ suæ curriculum circumscriptũ sit. Quare moriens ille Philosophus, qui cornicibus longum ætatis cursum inuidisse traditur,

quem

quem natura negasset homini, videtur mihi profectò deplorasse nostram calamitatem, & hanc breuem lucis vsuram. Cum ergò ea sit humana conditio, vt vita sit breuis, & omnibus telis fortunæ proposita, cursus verò gloriæ sempiternus, est nimirum cur velis colere eam cum virtute, atq; in honestissimis (quod quidem nunc facis) literarum studijs traducere, vt posteris testeris te aliquando vixisse. Vnguium & rostrorum, vngularumue promiscua est satis natura, à cornuum ossiumq; soliditate parumper sua mollities declinat. Vnguium materia est sanguis de venarum riuulis perstillans, & non fumus aliquis, quo quidē pili coalescunt. Viuere itidem, sentire, & enutriri, & crescere dicūtur à Galeno, nec ita crescere intelligas volo, vt quæque eorum particula incrementum accipiat: sed è summa digitorum parte alteram propelli, ac alteram subnasci. Id autem parens rerum omnium communis Natura efficit, vt assidua scalptura vngues attriti,

Vnguium, rostrorum, vngularū ratio.

attriti, ac accisi reparari possent. Sunt qui alimento gigni quidem fateantur, at sensum illis penitus adimant. Quorum sententiam passim Galenus in suis commentarijs coarguit, & planissimè explodit. Ad extrema vnguium quanquàm arteriæ propagātur, nolo tamen credas, ipsos æque peruadere, at certas corporis partes subire & occupare solent. Non est sanè locus hic de vnguibus populari (vt aiunt) trutina examinandus, & pertractandus, si quidem aliquos non obscuri nominis hoc tempore medicos in cæcos errores duxit, atq; adeò inter veteres dissidia & summas dissensiones commouit. Plato enim, ille non intelligendi solum, sed etiam dicendi grauissimus author, & magister vngues propterea naturam digitis hominum adiecisse putat, quia aliis item animātibus dederit. At verò nō multo post aliam causam commentus est, in rebus vel inueniendis vel iudicandis acerrimus philosophorum Aristoteles. Quarto is namq; libro de partibus ani-

malium,

malium, ſcriptum reliquit, brutis quidem tributos eſſe vngues eũ ad vſum, vt commodius præhendant, & prædam arripiant: homini verò præſidij cauſa, quo melius ſummos digitos tueatur. Atqui iſtud Galeno non perſuaſit, cui iure omnes multum tribuunt, vt vnus excipiatur Hippocrates, præterea nemo. Nam is cum in cõmentariis de Vſu partiũ, tum aliàs ſæpè tradit, vngues ad hoc vſuuenire, vt melius digiti præhendant. propterea neq; plus iuſto molles, neque duros concreuiſſe, quaſi eum in modum conformati, ad ſuum officium faciendum futuri eſſent aptiſſimi. Cũ itaq; nec frigus arcere, nec ab æſtu digitos defendere, nemo homo, vel ſtupidus, nõ ſentiat, probabiliorem eſſe opinionem Galeni quàm Ariſtotelis iudico. Nõ deſunt etiam qui obſeruauerint quàm diligentiſsimè, ipſos vngues prolixius augeri ſenio, quia incrementum præcipuum ea ſumunt ætate, qua viget & redũdat is humor, cui ortum ferunt acceptum. Cuiuſcunque modi

Vnguium vſus.

Vnguium incrementa.

modi res habeat, nihil moror: ad alia transeundum est. Vngues & rostra Natura dedit, tum ad tuitionem sui, tum in locum labrorum & dentium: his quidem cum aduncitate & duritie, bestiolarum capturæ congruentia: his sine adūcitate, quibus captus ille rapax necessarius non sit: sunt autem rostra arcta, quia caput ipsum paruum sit. Vngulam mulæ ad seruandum venenum stygis aquæ solam sufficere, traditur, cum omnem aliam materiam sine discrimine perrodat. Quod in vim eius manifestam referri nequit, neq; enim, quia frigida: quia marmor, & multa frigidiora non sunt eiusdem facultatis: neq; quia sicca, dura, aut spissa: quia ea siccius, duriusve est ferrum, ac spissius, quod illud de se præstare nequit. Vngulæ aliis indiscretæ sunt, aliis bifidæ, aliis trifidæ, alijs multifidæ, pro cuiusq; commoditate. Neq; in eadē serie, quibus multi sunt vngues, collocantur: plerisque enim qui in mucronē acuitur, procul à cæteris rigescit. De squammis nihil est,

Mulæ vngula.

Vngularū diuersitas.

Squammis

est dicendũ, nisi quòd & piscibus & serpentibus eæ communes sunt. De ossibus sisaminis, quia minutissima sunt, nulliusq; fermè momenti, iccirco sermonẽ inducere hoc loco abstinuimus. Scire tamen oportet, facta ea à Natura, replendorũ articulorum gratia, ne ossa inani coitione omnino conferrentur. Ac verò de osse, quo se lingua fulcit, & sustentat, illud tantum dixisse sat sit: figuram ei triquetrã esse inditam, cuius cuspis occipitium respicit, basis os, vt lingua illo planè innitatur, firmeq; cohereat. De osse autem cordis dicamus, in equi bouisq; corde reperiri. Hominum etiã corda non carere osse, ad binasq; drachmas singulis annis, ad quinquagesimum annũ accedere, ab eo detrahi tantũdem, ideoq; vltra centũ annos homini vitã non concessere Aegyptij. Atq; hunc in modũ de ossibus, maxima hominis parte (qua cõiectura potuimus) summatim coscripsimus. Tempus iam est, vt ad cætera nos aggrediamur, à medulla hunc in modum exorsi.

Os, linguæ fulcimen.

Os cordis.

Caput

CAPVT VIII.

De Medulla, eiusq; ratione, deq; Cerebro, cerebri causa & triplici eius sinu.

Medullam partem esse dico magis terream, ossibus cauis penitus receptam, ea quidē ratione, vt nutriatur os ipsum, quod substantiæ fuit firmissimæ. Sanè terream esse, ea ducor coniectura, quia sit fomentum ossis, atque rerum princeps Natura præcipuè seligat pro quouis nutriendo, quod maximè idoneum sit, nisi vsu pernecessario membris præpediatur. Non eam tamen volo terreā adeò esse, quin etiam caliditate participet, & succo; quippe quæ durities deponat plurimas, & calefaciat, circumposita extrinsecus: perindeq; est, atq; de coriandro, & cæpe: sed illud exiguum est, præterq; substātiam eius adueniens. Nam plurimæ medullæ, siccæ sunt, & frigidæ, vt eorum animalium quæ adipe carent: seuose enim sunt cunctis cornigeris, pingeue gig- *Medulla terrea.* *Medulla quibus animalibus sicca & frigida.*

nentibus adeps namque eas remollit: quare congruentius olli cohærent, fouetq;. Quod nisi solers natura fecisset, in vehementissimam collaberetur siccitatem ossis substantia: quippe quæ sustineat corporis prægrauem molem, motusque citatos artuum excipiat, & assiduos. Atq; quærat hic quispiam, cur multorum animalium ossibus medulla nulla? vti vrsorũ. Digna quidẽ dubitatio, quæ pudendum errorem quorundam literatorum & grammatistarum coarguat. Quos ego audiui semel atq; iterum, in frequenti auditorio, de loco superiori pronunciantes, & narrantes auditoribus suis, Achillem medulla collecta ex ossibus vrsorum comminutis, à Chirone medico nutritum ac educatũ fuisse: indeq; nomen habuisse, quasi dictus sit Achilles παρὰ τὸ μὴ θίγειν χείλεσι θηλῆς· ὅλως γὰρ οὐ μέτεσχε γάλακτος, ἀλλὰ τοῦ τῶν ἄρκτων μυελοῦ. Idẽ quoq; affirmabant, se habere authores Græcos, quos sequerentur, nomina tamen eorũ non edebant. Sed ego arbitror, si quem autho-

Medulla cur animalia quadã careant.

Achillis etymon.

authorem Græcum sectentur, non aliũ sectari, quàm illum qui scholia in Homeri Iliada conscripsit. At isti non animaduertunt, alterum nominis Achillei etymon ab ipso (si ipse modò est) explicari, atque ma:is tacite probari. Inquit enim dictum esse, διὰ τὸ ἄχος, τοῦτ' ἐστὶ λύπην ἐπενεγκεῖν τοῖς Ἰλιεῦσι: ad quod Homerus principio suę poesis allusisse mihi videtur, sic exorsus;

μῆνιν ἄειδε θεὰ πηληϊάδεω ἀχιλῆος·
οὐλομένην, ἣ μυρί' ἀχαιοῖς ἄλγε' ἔθηκε.

id est, τὰ μυρὶ ἄχεα. Nihil mirandum est, huiusmodi genus hominum ita facile labi, errare, falli, ac decipi, quandoquidem nullam disciplinam attingant vnquam, rudemque rerum cognitionem tantum habeant, quanquam multo ære conductos se iactant, & publicos professores appellitãt. Sed de istorum ineptiis aliàs, & loco magis idoneo: ad dubitationem redeamus. Leones sanè quidem, pedum ossibus non expertes sunt medullæ, seu perpaucæ: dura enim sunt, adeò vt

Leonum ossa.

collisa ignem excutiant: reliqua eorum ossa, solida omnino. Vrsis, vt suprà dixi, medulla nulla. Id autem cur factum sit, nec Plinius quidem, quod sciam, caussam attulit. Quæstio tamen in eum soluitur modum. Vrsorum genus, & leonum, ex toto durum, ideoque fortissimum. Quare & eorum ossa, quæ difficillime fluunt, resoluunturque, non excauata sunt: sineque grandi reparatione indiguere firmitudine eorum. Medulla in iuuēta rubescit, quippe quæ calore intus æstuante & adurente durescat; ac propterea rubeat. Præ senecta, amisso rubore pallescit: vt ei adsimiletur ætati, quæ innato calore iam exhausto, humoribus albidis, quæ φλέγματα nominantur, maximè abundat. Plurimi inter medullas adnumerant cerebrum, liuescentemq; illū spineum truncum, qui à capite per ceruicem, armos, & renes descendens, in podicem desinit. Verum dicere nequeo, quàm hæc leuis & inepta est sententia. Nam assentiri omnino necesse est, medullam

Vrsi cur medulla careant.

Medulla color pro ætate mutatur.

dullam omnẽ oſſis reficiendi cauſa fa- *Medullæ ratio.* ctam: cerebrum autẽ, cum trunco illo à ſe orto, nullo pacto oſſis gratia conceſſum. Nam quid indignius, quàm cerebrum tantæ nobilitatis, oſſi miniſtrare, & ea propter creatum aſciſcere? Cæterum ne plus quàm conueniat ad vnguẽ omnia reſecemus, & (ut inquit ille) medullitus nimis penetremus, cerebri ſpineæq; illius columnæ ἀνατομίαν ſubnectemus. *Cerebri ac ſpineæ eius columnæ ratio.* Referunt enim medullam, vero q; ſimile eſt, à nonnullis cerebrũ ſpinamq; medullas dictas: quorum vnus extitit Plato, quod medullæ quodam tenus conditionem ſubeant. A cerebro itaq; orſi, eius naturam, conditionesq; pro viribus ſcribemus, mox ad ſpinam transſibimus. Sic enim belliſſimè declarabitur vnumquodque. Cerebrum eſt *Cerebrum.* membrũ illud, de quo nerui, tum motus, tũ ſenſus miniſtri, ortum habẽt: celſiore corporis parte reſidẽs, intra caluariam concluſum; ſuapte natura frigidũ & humidum, ideoq; immobile, quãuis elatis perpetuò vaporibus caleſcat, ac

 pro-

propterea palpitet, temperādi caloris gratia. Huc à corde venarum arteriarūque vis transmitti, à Philosophis dicitur. Hominí maximū, pro magnitudine reliqua corporis, tributum esse, ait Aristoteles, aduersus cordis feruorem, qui plurimus est, reprimendum, & irrigandum. Tunc autem reprimi putat Auicenna, ille Arabs, cum spiritus vitales ad sese elatos cerebrum temperat, & mutat in alios spiritus, quos animales Medicorum vulgus appellant. Sed Galenus rudius & planius Aristotelem interpretatut, atq; existimat de eius sententia, cordis æstum temperari & frangi cerebri frigiditate, ob idq; vnum tēperamentum non datum esse à natura homini contendit. Verisimile enim est tot meatus, sinusue circumductos, ad multo plura vsuuenire, quàm ad refrigerationem duntaxat, quam medulla grandis præstare nimirum potuisset. Vastum autem creditur, quia homini necessaria fuit magna copia spirituum, qui in complexu cerebri gignuntur, & con-

Cerebrum homini maximum.

Feruor cordis temperatur a cerebro.

Spiritus in complexu cerebri gignuntur.

continentur. Exangue item est, & sine venis, & arteriis. Ab eo proficiscitur somnus. Nam cerebrum non habentia, perpetuò vigilant. Hic mens viget, sensusq; commoditas. Cerebrum itaq; (vt missas faciã tot hominum opiniones) propter caput ipsum, primum quidem à natura factum esse censeo. Deinde verò, propter sentiendi facultatem, & illum apparatũ, qui totus à cerebro proficiscitur. Sed proxime secundùm caput, propter oculos quorum præcipua est cura inter sensus omnes: quamuis multa sint animalia, caput habentia sine oculis, quales sunt talpę, quas tamen cutanea quadam membranula obtegi non ignoramus. Cerebri moles vniuersa tribus specubus discreta est, prona, auersa, & media: in quibus sensus omnes, quos interiores dicimus, absolutiores regnãt. Anterior quidẽ sinus datus est, quòd præter alios vsus, duos pręcipuos præstat: primum sanè, vt aerem (totus enim in cor non illabitur.) in se admittat: quem dum vltrò citroq; accipit, &

Cerebri causa.

Cerebri sinus tres prona, auersa media.

Sternutatio. pit, & reddit, tantisper homo respirat: aut tunc sternutat, cum aer maior, quã spiritu ductus est, impetu effluit: alterum autem, vt sanguis optimè conficiatur, spiritu animali, qui per illos angustos anfractus diffunditur in vniuersum cerebrum. Hoc loco præter modum *Phrenitis.* affectio, & æstuãte, dira phrenetide homo tentatur: rursus eodem algente ni- *Lethargus.* mium pigro lethargo torpet. At si ventriculi simul, & cerebrũ ipsum, obstruã- *Apoplexia.* tur, apoplexia laborat, & attonitus stupet. Sin autem ventriculi duntaxat af- *Morbus comitialis.* ficiantur, morbo comitiali corripitur. *Melancholia.* At verò vitiata temperatura cerebri, modò melãcholiam (inquit Hippocrates) fouet. Priore sinu, commentandi *1. Sensus communis siue Phantasia in anteriori cerebri ventriculo est.* illa facultas substitit, ad quam formæ rerum, quæ sub sensum venire possunt, tanquam ad iudicem communem cõtendunt. Hanc alii sensum cõmunem, *2. Sinus sine ventriculus medius, sedes cogitationis & iudicii.* pleriq; phantasiam dixere. Paulò post tendenti in aduersum, occurrit sinus medius, sedes cogitationis, & iudicii. Hunc obiter sequitur, & postremo quæ

dam

dam lacuna, memoriæ & reminiſcentię locus. Itaq; liquet, tripartitò diuidi ſenſus interiores, nec eos plures eſſe poſſe quàm tres. Ea ratione etiam adducor, quòd alicuius rei ſpeciem tribus duntaxat modis compręhendimus: aut enim illam, non ſine re obiecta, ſenſu exteriori percipimus: aut ſolam ipſam commentamur, ſed loco, & tempore, & alijs circumſtantijs definitam fingimus: aut nullo genere qualitatum circũſcriptam cogitatione cõplectimur. Has formas, ſic variè diuulſas, & ſeparatas à rebus, quę reciperet, cuſtodirétve memoria, veluti theſaurus optimus, pernecceſſaria homini fuit. Quare totidem ſenſus intimos cõſtituere par fuit, & illos quidem inter diſtinctos, & abiunctos penitus, quot formæ rerum comprehendendę rationes ſunt, quotque ventriculi in crebro deprehẽduntur inter ſe diſtincti. Diſtingui autem, illud erit indicio, quòd vnus lædi poteſt, reliquis incolumibus, & integris. Periclitemur pauliſper in his exẽplis,

3. *Poſterior ſinus Memor. & ſedes.*

Memoria vſus.

quibus lucem rebus perobſcuris, & in-ſola animi notione depictis, Philoſophi ac medici afferre conſueuerunt.

Theophilus. Theophilus medicinæ artis peritus, cum graui morbo tentaretur, in angulis ædium occinentes ſuſpicabatur adeſſe tibicines, cantoreſque: qui ſanè nuſquam erant. Non multo pòſt verò, quàm conualuit, ſana mente narrabat omnia, quę in ægritudine, ſuſpicione attigiſſet. Vnde medici coniectura adducebantur, cogitandi iudicandiq; vim & memoriam, modum & integritatem tenuiſſe, imaginatione tantum aberrante, & extra (quod aiunt) quadrum promota. Idem contigiſſe Acmæ, putidæ mœchæ, & nullius aſſis facientis olidum lupanar, teſtatur Catullus, poëta lepidiſſimus: propterea imaginoſam, hoc eſt, falſis illuſam imaginibus, appellat: & medicos conuocari ſuadet, qui mentis alienationem curent, & ſanitati reſtituant.

Aiax. Oreſtes. Aiacem furentem, inſanientem Oreſtem poëtæ faciunt, quia imaginibus, non mente fal-

te fallerentur. Ac verò cogitationi & iudicio noxa afferri poteſt; cæteris ſuperſtitibus, quemadmodum memorabili cuiuſdam exemplo confirmat Galenus. Romæ enim neſcio quem olim ait morbo oppreſſum fuiſſe, qui occluſis ædibus, de feneſtris vaſa tranſeuntibus oſtendebat, ſuſcitans, an illideret. Verùm quia vnumquenque ſuis appellabat nominibus, palàm fit, memoriam imaginationemque minimè oblæſas fuiſſe, iuditio vitiato duntaxat: quoniam quid faciendum foret, parum diſpiciebat. Nam & poſtremò ſciſcitari perrexit, an puerum præcipitem ageret, annuentibuſque, continuò deturbauit. Thucidides porrò ſcribit, peſtilentia atrocius craſſante, qui laborabant ex ea, tantam illis obrepſiſſe omnium inſcitiam, vt parentum, amicorum, & ſuimet obliuiſcerentur. Meſſalā Coruinū morbi ſeuitia, ſui nominis oblitū eſſe, tradit Plinius. Nōne Franciſcum Barbarum, Hermolai auunculum, Græcas literas, quarum prius erat doctiſ-

Meſſ. Coruini obliuio.

Franciſcus Barbarus.

doctissimus, in extrema senecta oblitam accipimus? quanquam is & dijudicandi, & commentandi facultate pollebat. Georgium quoque Trapezuntium, in eundem memoriæ morbum incidisse ferunt. Ea mediusfidius ægritudinis vis est, istiusmodi sensuum, vt homines ad insaniam planè adigat. Thrasilaum namque eò vesaniæ deuenisse legimus, vt Piræum ingredientes naues, suas arbitraretur: perinde abeuntes, remigrantesq; ingenti applausu excipiebat: si qua forte naufragium fecisset, nullo mœrore conficiebatur. Is tandem fratris cura, morbo liberatus, narrare solebat, nunquam se vixisse iucundius, quàm furoris tempore: quoniam aberat tristitia, & voluptas sibi curis omnibus vacuo passim arridebat. Quid quæris? Galenus se expertum prodit, istam mentis perturbationem. Nam cum per æstatem febris quateretur ardore, in cubili extantes atro colore festucas cernere se opinabatur: vestes etiam floccorum plenas, quos vix-

Geor. Trapezuntius.

Thrasilaus

dum

dum summis digitis capere & colligere occœperat, cum ex amicis, qui visendi gratia illuc conuenerant, vnus dixit, videtísne hunc iam floccos conuellentem, ac festucas legentem? tum animaduertisse se omnia, inquit, quæ dicerentur, perinde quasi ratio constaret, sed in phrenitim de lapsum se sentiebat. Mitto insaniam Herculis, qua tunc agitabatur, cum Amphitryonem interfecturus videretur. Mitto Prœti filias furentes, Abderitas insanientes, Lysimacho imperante: & alios plerosque, quos recensere infinitum foret. Satis sit, luce clarius ostendisse istas tres animi facultates prorsus inter se dirimi, ac seiungari. Reuertor ad illud, quo de agi cœptum est paulo suprà. Anterior cerebri portio mollicula esse debuit. quia nerui, qui sensum præstant, inde prodeuntes, molles sunt: pluscule tamen duriores sunt illi ipsi, qui ad oculos pertingunt, motionem allaturi, quoniam de membrana diriuscula ortum habent. Veruntamē posterior pars

Herculis furor.

Prœti filiæ.

est solidiuscula, & quòd nerui motus ministri sunt duri, & quod benè durescit membrana, vnde propagare se incipiunt: & quòd, quo durius quippiam est, eo pertinacius seruat & custodit, quod semel est admissum. Sed vtranque simul habere, mollitiem nimirum, & duritiem, difficile est, ne dicam fieri non posse. Nam sæpius illud videmus, vt qui citò capaces sunt, ij pręsertim infœcundæ sint memorię: contraque, qui magna memoria pollent, vix admittere quicquam probantur. Curio pater tam nulla fuit memoria, vt olim totius causæ sit in iudicio oblitus: attamen iudicio excelluit. Codrus Vrceus nihil vnquam suis auditoribus quicquam de superiori loco dixisse, nisi de scripto, traditur: at in dijudicandis veterum, cùm Græcorũ, tum Latinorum scriptis, diuinum habuisse ingenium cõmemoratur. Si qui tamen inueniantur, quibus natura vtrunque dederit donum, fœlices ipsos esse puto, & propius ad Deos accedere affirmo.

Curio *Codrus Vrceus.*

qua-

qualem antiquitus extitisse Portiũ Latronem ferunt, qui, quæ dicturus erat, ediscendi caussa nunquam relegeret, edidicerat cum scribebat: dicebat ita, vt in nullo verbo vnquã memoria illum falleret. Iubebat aliquẽ nominari ducem, statim illius gesta ad vnguem memoriter recitabat, quasi iudicio diuino potius quàm humano præditus. Iulio quidẽ Cæsari, Hortensio, Themistocli, Carmidæ, omnes æternam memoriam concessere: at quis ingenium, & mentis aciem illis vimq; ademit? Ioannẽ Picum Mirandulæ tyrannum, adeò memoria excelluisse accepimus, vt miraculo orbi terrarum extiterit. Nam duo millia nominum recitata, statim, quo ordine erant dicta, referebat: ducentos versus, ab vltimo exorsus, memoriter dicebat. Quis Pico verò iudicium acrius & certius tulit, de controuersis rebus tam diuinis quam humanis, de quibus physici & theologi summoperè solliciti fuerant? Quid Andreas Alciatus, iurisperitorum eloquentissimus? & eloquen-

Portius Latro.

Memoriæ exempla.

Ioan. Picus Mirandula

Andreas Alciatus.

quentium iurisperitissimus? quàm debet præsenti naturæ, & præpotenti rerumq; dominatori Deo? cuius benignitate nihil non tenaci memoria assequitur: & quod magnam admirationem facit, sic de iure cõsultus prudenter respondet, sic mirè leges interpretatur, & æquitate summa tẽperat, vt post homines natos fermè nulli, aut per pauci doctiores, acutiores, acriores in rebus vel inueniendis, vel iudicãdis, Alciato fuerint. Dij eius ingenium fortunent, & vitam quàm longissimè producant. Nihil enim dubito, ipso superstite, quin literæ in plenum restituantur suo candori, quæ penè neglectæ hacten⁹ iacuerunt: leguleis autem quibusdam acutis & cautis, præconibus actionum, cantoribus formularum, aucupibus syllabarum, nullum locũ amplius fore spero. Is quidem, vtpote qui disciplinarum orbem est iam consecutus, nescio quomodo inter colloquendum, quasi aliud agens, visus est docuisse me & Marcum Andream, virum græce & latinè oppidò

pidò quàm doctum, facultatem cogitandi perquàm decenter intercedisse duas alias: propterea quod illam nostri potissimam portionem, intercipi duobus extremis consentaneum fuit. Is item medius locus, eò dignissimus iudicatus est, quod cor directè ili obnoxia contuetur, illique præsto est. Neque illud rationi defuit, quod ei instantia acrius dijudicandum sit, prouidendumque de futuris: sed instantia, sequentiaque, anteuersus & retrouersus arcentur. Ideoque hinc & inde aptissima ea visa est regio, quæ medium possidet, si natura nihil temere efficit, aut quod optimum sit, non contemnat. Ac vero quod inter primū & medium ventriculum mira arte à Natura factum est, in eo visitur cerebri substantia quædam sanguinolenta & crassiuscula, in transuersum porrecta serratim, vt ferè dixerim: quæ à specie quam præ se fert, vermis vulgò nominatur: non à calore, vt falsò quidam putant. Huic subsident duæ cerebri particulæ femorales, *Vermis.*

E quæ

quæ cum dictus vermis distenditur, hærent, coëuntque, & interuallum, primum inter ac secundum ventriculum obstruunt, quoties ab æstimatione cōpræhensorum homini cessandum sit. Sed cum æstimandę perpendendæque sunt imagines à cogitandi facultate, tunc contrahitur, curtusque fit. Verminea illa particula, similiter se habet, atque cum manibus corrigia attrectatur, quæ partes imas loculi infiā secti expandit, clauditque: si eadem reseratur, à cerebri auerso ventriculo sese per dorsum prouoluit vertebratim, columellæ similis. Medulla, de qua supra meminimus, cerebro tum substantia, tum colore ferè proxima: & si durior eo euadit cerebro, quo longius abit. Dissimilis autem est multum feruore, aut gelu. Cæterum Aristoteles contra quorundam sententiam inuectus, ipsam calidiorem cerebro esse, ea confirmauit ratione, quod natura aduersus cerebri frigius molita, calētem eam inuexerit. Ego sanè magis vincor magni

Medullam cerebro calior.

gni

gni philoſophi obſeruantia, quam argumentis. Nam hic obſetro, dicat mihi ſapientiſſimus Ariſtoteles, ſatne illud præſtabat cordis feruor, excellens nimis? Quod ſi non, cur item diligens natura, tanquam homini in cæteris officioſa, de cordis ſubſtantia perſimili, non excogitauit in nobis partem aliquam, præter cerebrum, qua refrigeretur ignis ille implacabilis? Atqui ferueſcere magis cor contenderem, quàm cerebrum frigeſcere, ſi in nobis æſtus rigori dominatur. Ad hæc cum in vniuerſum de ea agamus, dicétne, eam quæ in animantum genere exangui, quod ſine cerebro eſt, eſſe calidã, cum cerebri ſit loco, compeſcereq; debeat ſimiliter cordis immoderatũ calorem? Atqui perlibenter audirem, quibus in animalibus non ſit cor, ſed quaſi cor, neq; cerebrum, nũ etiam ſit quiddam ſpinę reſpondens, pro neruorum ortu? Illud item noſtrã ſententiam comprobat, certiſſimum experimentum, quia ea facilius ægreſcat frigore, quàm

cerebrum: quod alioquin non negaſſet aduerſarius: cuius tamen contrarium certè experiremur, ſi calida foret, hoc non parum prohiberet calor cordis, cui proximè accedit multum. Quibus dictis adijciendum eſt, cerebrum aliquantiſper non iniuria humidius eſſe, atque ſit ſpina dorſi: quippe, ſi pati decuit magis cerebrum pro obeundis interioribus negòtijs, quibus cenſetur aptius cerebri coniuncta perçqua proportione mollities: ſed hæc iam miſſa faciamus. Illud ſiquidem conſtanter protulerimus, ex ſententia, ob eam ſanè rationem factam, vt plurimis neruis, qui coſtis & ventri infimo tactum motumque tribuunt, principium eſſet: quod alioquin difficillimum, ſi non impoſſibile, fuit, cerebro immodico certe interuallo præſtare. Itaque vicaria (vt eum in modum dixerim) illius officio fungitur, refertque, quoad eius fieri potuit, ortus ſui beneficium, non ingrata.

CAPVT

CAPVT IX.

De Neruis, nerui definitione, temperatura, figura, & ortu, deq; illorum septem paribus è cerebro mittentibus.

CVm Neruis nihil in corpore toto sit officiosius, aut cui magis debeamus alij nostri particulæ: omnino necessarium esse autumo, vt de ijs exquisita ratione paulisper disseramus. His, tum natura, tum voluntatem mouemur in primis, sine quibus illico hominis genitura euerteretur. His quina illa sensoria peregrina, coloris & lucis, soni, odoris, gustus, reique tractabilis, cognitionem afferunt, nobisque vltrò subministrãt. Vnde rerum causas contemplari, in sidera singularesq; mentes conuolamus: sed enim, his sine sensorijs quid vnquam cogitaret, perpenderet, aut iudicaret vis illa diuina, quã animam appellamus? Quid itaq; neruus sit, initio dicamus: vnde nobis occurrent afflatim, quæ insunt affectiones, & iam ex dictis ferè colligitur eius

Neruorum vsus.

 essen-

essentia, ea quidem in eum est modum.

Neruus quid? Neruus est membrum (vt verbo Apulei vtar) officiale, & similarium partium, sensum & motū secum vehens. Atqui eum esse similarium partium affirmauimus, ad musculi discrimen, cui cætera cõsentiunt. Mox iunximus, sensum & motum ab eo esse, iecinoris causa, quòd cæteras sibi definitionis partes vendicat. Verum ea, quam diximus pars, à nerui definitione semouit. Sed *Nerui temperatura.* plenius tractando, singulasq; eius affectiones aperiendo, dicam⁹ oportet, gelidæ eum esse temperationis, si decuit eum motus validissimos, qui plurimi cientur, exercere: ne si calid⁹ foret, motu, qui suapte natura caliditatem prolicit, supra modum calesceret, absumeretúrque. Sicca pariter est ei temperatura: nam non multum humidus perdurasset, eadem nimirum ratione: quare si secus ac diximus contigisset, temerarium aut momentaneum quidpiam moliretur natura: præterea, vt mollities sanè, quæ humiditatem consequitur,

tur, contraria, aut certè minus potens pro obeundis motibus exterminaretur. Soliditas itaque non ab re illi congruentissima est, candorque, quòd calore agente in siccum, prima sui actione albescit siccum perinde atq; de osse suspicamur.

Nerui candor.

Teretis etiam est figuræ, vt trahi, retrahíque pro arbitrio posset: illáque penitus habet minutissima, spiritum conuehentia quàm purissimum. Integra igitur planáque nerui definitio ea à nobis forma allata sit, atque si ea aptissima sit, illud argumento est, quod soli conuenit, reciprocatúrque in vniuersum, non particulatim accepta, ex ea verò affectiones omnes cõfestim & expeditè emergunt.

Nerui figura.

De neruorũ autem ortu disceptatio est nõ modica, Aristotelem inter Galenum: nam hic cerebrũ illis principium statuit, sua cõnixus heresi, plerisq; etiã obiectis rationib9: vt ꝙ cerebri præpeditis officijs, & neruorũ officia cesient: quia ex dissectione illud constet, quod

Neruorum ortus.

ſubinde in euentis, id eſt accidentibus, ambo aſſimulentur eò loci maximè, vbi nectuntur ſimul: quod item cerebrum ſit ſenſus & motus occaſio, & autor: quod demum, propter cerebrum maioris ſint molis, & molliciei: ortum autem omne ad ſui principium maius eſſe, & mollius, vſu iam iam planum fit. Sed hæc quanquam certa rataque haberi debent, dubitationis tamen adducendæ cauſa, & gratificandi potius Ariſtotelis ſtudioſis & amantibus, quàm veri defendendi gratia, perridicula eſſe fingamꝰ per te licet. Quod igitur ad maximum philoſophorum Ariſtotelem attinet explicandum, id nimirũ certa noſtra ſententia firmandum eſt, cor neruis præſtare ortum, ſi primus ſentiendi & mouendi ſit autor: quod planè eo demonſtratur, cum cor initio ſolum omnium moueatur ac ſentiat, quod quidem ſine neruis fieri nequit. Id nec Galenus nobis inficias iuerit: ſed & illud dederit neceſſariò, tũ experientia, tũ ratione victus, neruum

Ariſtotelis cum Galeno diſſenſio.

Cordis neruus.

corde penitus cōtineri: quamuis id audacter negarit, pignoreq; certauerit cū aruſpice, quod nullus cordis neruus oſtenderetur. Sed apertiſſimè noſtro tempore, in illius cellulis cōſpectus eſt neruulus, membranam leniorem cerebri operculum conſtituens: qui tametſi maior eſt proxime cerebrum, nihil cōcluditur, quemadmodum ferè accidit, initia minima eſſe magnitudine, facultate maxima, ortaq; de his, grandiora: ſicut radices arboris minutiſsimas diuellimus, trunco iuxta eas grandeſcente. Neq; cerebrum primum ſenſorium nobis eſſe, neq; primam mouendi vim habere aſſerimus, ſed manifeſtius & euidentius ſenſum præſtare, quàm cor ipſum. Quod autem de perſimili colore obiicitur, pertenue eſt argumentum. Quod ſi aduerſarius inſtet, reſpondeat obſecro, cur non magis ex oſſibus oriri eum affirmauerit? quippe cum ſimillimus eis videatur.

Cerebrum non eſt primum ſenſorium.

Poſt hæc, dicamus tamen vbi non refert, ſeptem neruorum paria de cere-

Neruorum ſeptem paria de cerebro mitti.

bro mitti, quamuis vero ſimilius dicatur à membrana illa cerebro viciniore exoriri.
1. Primum ante verſus ponè duas glandulas olfactus, binosque oculos comparet, nondum ſatis adhuc exploratum, num duo nerui ſint, aut vnus. Alijs viſum eſt duos eſſe, in pyramidem coire: mox pyramide euerſa ad ſuum ſinu facto humorem, quem vitreum dixerunt, iter capeſcere. Ita crediderunt neruum, qui dextro ſuſpenditur cerebro, ad dextrum quoque oculum ſpectare: eumque qui à læuo, in læuum ſimiliter deſinere. Certum illud eſt, in pyramidatas formas exiiſſe eam ob rem, ne diſtinctis apprehenſa oculis omnia gemina iudicarentur. Vnde ego non ignobili ratione vnum eſſe aſſeuerauerim, veluti ſenſu ipſo alioquin
2. deprehenſum ſit. Alterum par aliquanto validius poſt primum cadit, eodemque foramine exit, oculorum muſculis ſeſe commiſcens, vt & claudere, aperire, commouere poſſimus.
3. Tertium conſequitur par, initiò quidem

quarto

quarto pari mixtum, ſed mox ab eo diſcernitur, in quatuorq; partes diducitur: è quibus deſcendens vna, foramine eo quo arteria venalis attollitur, ad ea prorumpit viſcera, quæ ſæpes, aliàs diaphragma appellatum, ſupereminet. Alia pars foramen oſſis temporis egreditur, quintoq; pari continuò ſeſe applicat. Alia pars eodem limite, quo & ſecundum par porrigitur: neque enim potuit primi iugi orbitam & curſum tenere, ne fortaſſis vtiliori pari, quod in ventriculum deſinit (vt ſuprà diximus) anguſtior ſtringeretur. Cum itaque hæc pars exterius proficiſcitur, in tres ramos ſpargitur. Quorum vnus ſui fila ad palpebras, ad minores angulos oculorum, ad temporum muſculos, ad mandibulas, ad ſupercilia, ad frontem, dirigit. Alius ad eos pertendit angulos paulo maiores, vnde cadunt lachrimæ, indeque ad nares, tum intimas, tum extimas expanditur. Alius iterum ramus ſua decurrens via, quæ eſt à lateribus ſuperciliorum ſuper os maxil-

maxillæ in duos frondeſcit ſurculos : è quibus alter ad intima feſtinat,dentiū-que radicibus, gingiuisq; ſupernis fermè adhæreſcit: alter cutē maxillæ proximæ commeans,extremis labiis, & illis ſupernis, naſoque extremo finitur. Quarta poſtremo tertij paris pars,mandibulæ ſupernæ foramen penetrans,in linguæ tandem conſumitur cacumen, cui ſaporum iudicium committitur:ex qua etiam pārte nonnihil dentium alterius ſeriei,gingiuis,& labiis inferioribus commodi acceſſit. Quartum par

4. poſt tertium exoritur ex cerebri ima parte , ex quo tandem pelle facta palatum tegitur , ſenſumque nanciſcitur proprium:hoc exiguum eſt admodum, ſed concedit ei quod linguam induit: quod ex eo fuit,ne natura nequicquam operata putaretur,hoc enim illo eſt durius. Quinti paris origo eſt ab vtriſque

5. cerebri lateribus, ſinguli in bina pullulant paria : quorum alterum ad locum auditus perueniens,in membranulam expanditur totum: alterum , quod ad fron-

frontem vergit, osseam illam cartilaginem terebrans, egreditur, perq; auris anfractus obambulat: nam quo longius ab ortu suo est, eo durescit magis atque magis. Cum egressum hoc par iam sit, tertij paris ramulis, qui palati musculos conficiunt, sese intercipit. Sextum vero par à sincipitis parte oriundum, minimo interuallo ab eo qui est quinti paris ortu, adeò vt non ignobiles autores, vtrosq; in origine coniungi tradãt. Hoc priusquam foramen pone spinam exertum adeat, in treis neruos distribuitur, atq; infra tres illi rami simul exeunt. Ex his vnus gulę musculos intrat, atq; linguæ radicem consistit, vt pari septimo opem ferat: alius humerorum musculis, atq; ei præsertim qui miræ est latitudinis inditur: tertius ramus duobus maior, qua ascendit via, arteria venalis ad viscera properat. Ab hoc iterum principio ramuli quidã prodeunt ad epiglottidis musculos, qui pro temporis opportunitate (vt dicemus) tollere possint epiglottidis ipsius annulos:
cumq;

cumque gurgulionem transierint, attolluntur rami, qui musculorum capitula ad infera, quoties opus est, attrahunt. Eam ob causam non à cerebro directè promittuntur. Nam eo pacto aut sursum traherent, aut in transuersum: quorum neutro, ea in parte, indiguimus. Huius reliquum diaphragma penetrat, quò tendit & tertius ramus: vbi & in viscerum membranas expanditur, & ad latum os proficiscitur. Se-
7. ptimum par ea demittitur regione, quę cerebro spinæq; communis sit (& hæc cerebri extrema est portio) cuius bona pars eius musculis excipitur, quibus lingua mouetur: his etiam musculis, qui intercipiuntur lingula, & osse triangulato commiscetur. Huius tanti ordinis, eius planè industriæ, causam credo esse Naturam, quod cerebri eo solidiores sunt partes, quo à priore ventriculo receditur magis. Ideo neruis, qui magnis motibus occuparentur, originem cuique suam æquo concessit discrimine, quoad eius fieri potuit. Quibus

bus (quantum in me fuit) diligenter excussis, restat vt de neruorum vno & tricesimo pari dicatur, qui à spinea medulla reflectuntur. Vnus ex primi spondili binis foraminibus extollitur in capitis musculos, vt inde sentiat caput. Primum hoc par tenue admodum fuit, ne angustia foraminum, quam delegit natura, via sibi occluderetur. Aliud ex foramine, per primum secũdumue spondylum egreditur, sensumque exactiorem atq; primum fecerit par, maxima eius parte capiti elargitur, vt quod tenuitas illius non attulit, secundo emendetur pari. Reliquũ huius paris, partim musculis colli absorbetur, partim musculo illo lato, quod iampridem memorauimus Aliud exit foramen, quod inter est secundum & tertium ex spondylis, & singuli duorũ neruorum in binos finduntur ramos, quorũ alter quidem ceruicem versus, illis insertatur musculis, quibus datum sit officium, & caput & collum mouendi; alter verò ante versus porrigitur, donec in musculum la-
tum

tum descendat. Illud quoq; conspicuũ fuit plerisq,, musculos temporũ eo copulari, in brutis etiam aurium musculos, sed maxima eius pars maxillarum init. Quartum par per tertium & quartum educitur, & singuli eius nerui in duos exeunt, similiter ac de tertio dictũ est. Horum vnus, qui maximus est, retrouersus flectitur: musculis abscondi-tur, qui collo capitiq; communes sunt, eiusq; quibusdam filis maxillarũ musculis applicatur. Alius autem neruus, qui minimus est, versus guttur emittitur, indeq; eius quæ araneæ cellam distendit persimilem venam obtegit somniferam. Demum in duas ramescunt partes, quæ ad mediastinam membranam procurrunt. Par quintum simili exitu, similibusq; partibus censetur tertio & quarto pari. Harum quæ minor est, spectat anterius: retinetur tum musculis qui caput antè versus flectũt, tũ collo capitiq; communibus musculis: quæ autem paulo maior, in duos secatur ramos. Sed inter duos hos, est medius

dius ramus, qui ad humerũ ſupremum pertinet: inde cum ſexto ſeptimoq; paribus ſociatur, ex quo nonnihil ad mouendam manum extenditur. Qui ſimiliter ſecundus eſt ramus, cum ſexto ſeptimoq; ſe commiſcuerit, prorumpit ad medium diaphragma. Sextum parili foramine viaq; proficiſcitur: ſed pars ſcapularum eſt, pars autem alia ad diaphragma feſtinat. Idem de ſeptimi via foramineq; ſentiendum omnino: cuius quæ maxima eſt pars, ad armos incedit, vnde illis eſt motus. Quiddam tamen ex illo ad capitis colli, & dorſi muſculos cõmigrat, demumq; in diaphragma deuoluitur. Identidem de octauo intelligẽdum, quod in vniuerſum vendicatur à brachio, eã ob cauſſam, quia brachium interdum robuſtis & crebris agitatur motibus. Hunc itaq; in modum de neruis ſpondylorum colli à nobis conſcriptum ſit. Primum par neruorum dorſi, via inter primum ſecundumque pectoris ſpondylum facta, in duas ſeparatur partes: quarũ quę maior

Nerui ſpondylorum colli.

ostenditur, musculis costarum dorsiq; occurrit,& figitur: quæ autem minor, primis fit obuia costis, tandemq; octauo pari conuoluta in manus simul accurrunt. Par autem quod secundum est,ex foramine,quod interiacet secundum & quartum, colligitur: quod aliqua sui parte brachium, aliqua verò parte qui supra interq; costas comprehenduntur musculos stipat, aliqua demum spinæ scapularum musculis delitescit. Neq; hic opus est de cæteris dorsi neruis longum sermonem instituere, quandoquidem reliqua eorum paria inter spondylum & spondylum oriuntur,præter duodecimum par, quod ex vno depromitur spondylo, qui duodecimus est. Illud tamen non dissimulandum,omnia neruorum paria quę silentio præteriuimus, spinæ costarumque musculos munire, carnem etiam, quæ pone conspicitur renes, confiniaq; istis membra. Quinq; etiam neruorum paria adsunt,ex spondylis costarum, quæ haudquaquam completę sint,quorum
singula

ſingula ex ſingulis deducta ſpondylis, muſculis anterioribus, tũ ſuper interq; iacentibus coſtas, occultantur, tum vẽtris muſculis, renumq́; carni vtroque latere. Ex his tria paria ſuperiora neruis à cerebro demiſſis conuoluuntur, duo autem inferiora paria magna eorum parte ad crura contẽdunt, quibus cum nerui tertij paris permiſcentur. Poſt hæc ſubſunt tria paria neruorum ex ſpondylis clunium, quorum ſingula ex ſinguli oſſis foramine propelluntur: & hi nerui aliqua ex parte neruis qui renes obſident, cõplicantur, maioreque eorum parte ad coxas pedesq;. Partim enim occultãtur, partim manifeſtò deprehendũtur, partim muſculis deperduntur fœmoris. Verũenimuerò pars neruorum ad pedes tendentium, è foramine deſcendens quod ad teſtes pergit, muſculis occurrit fœmoris: deinde muſculis ipſius poplitis. Quę via eò ſibi facta eſt, quia muſculi, qui à parte oſſis fœmoris oriuntur ad pedes, viam non habent à poſterioribus pectoris, ne-

que ab occulto coxarum, quia ibi musculi plurimi sint,& venæ. Tria similiter paria ex ani ossibus prodire visuntur, quorum quod primum est, ex eo ostenditur foramine, quod infimum clunium spondylum, primumq; ani os interiacet: identidemq; de duorum reliquis partibus audiendum. Cæterum ex vltimo ani osse vnicus prodijt neruus: horum alij nerui natiuum musculis obruuntur, alij virgæ, alij vesicæ, alij bulgæ matris (vt verbo Lucilij vtar) alij musculis domesticis fœmoris, alij in pelliculas ventris inferioris distribuuntur. Hi quamuis vnde exeant difficile dictu sit, tamen constat, visiturq; neruus tenuis in pelliculam demum protensus, in iecur desinens: alius in lienē, alius in bilis folliculum, alius in renes: quia his quatuor visceribus exiguus ob tusus q; comperitur sensus. Neruū cordis in homine, negauit audacter Galenus, reperiri: sed prætenuem neruū cor operire, in animalibus verò prægrandibus neruum vnum cordi penitus in-

esse

esse affirmauit: quàm sit probabilis huius viri sententia, iampridem edocuimus. quippe qui tantùm sensui tribuit, nihil rationi. Cæterum neruum cordis in homine diligenter dissecto reperiri, planè conspicuum est. Atq; hæc hactenus. Iam ad reliqua properemus.

CAPVT X.

De Membranis Cerebri & lateris, illarumq; natura.

HIs membranarum naturam proximè subiiciamus, quod materiã neruis similem, vel fermè, gerãt. Duræ sunt gelidæq;, & siccæ substãtiæ: figuræ item prolatæ, non sine ratione, vt aut disterminent, aut contineant, sensumq; afferant: aut alio moueant modo. Membranarum, quas græci μήνιγγας vocant, ea primum occurrit, quæ proximè cerebrum custodit, in quam venæ diffundũtur plurimæ, vnde aleretur cerebrum, in cuius gratiam & salutem molliculà & tenella aliquantum redditur, cum suapte nihilominus natura & dura & sicca *Membranarum natura.*

Cerebri mẽbrana. deprehendatur. Cerebrum hac cõpingi,& astringi, ne fatiscat, illud esse indicio poterit, quòd præcisa dura membrana cerebrũ etiã coit, execta autem molli continuò dehiscit & effunditur. Altera deinde membrana, quæ statim supereminet, solidius & asperius habet cacumen, ne caluæ tactu mutuò offendatur: cui adnexa, partem aduersam cerebri in duas diuidit parteis, nempe læuam dextramq;, atq; adeò ipsam breui disiungit interuallo ab occipite. Hic porrò artificiosus admodũ ordo ab effectrice rerũ causa, ea sanè ratione factus est, quòd molle molli, duro durũ aptius coherent. Nam quomodo opifex ædificatorq; mũdi Deus, ignem cœli spacio, & aquarum diuortio, diuisit à terris: sic diuini operis imitatrix & æmula Natura, gemino vtriusque membranæ interiectu caluam à cerebro separauit. Quo enim aër tenuior & purior est aqua, atque ignis terra · eo membrana suprema crassior & solidior est quàm subsidens membrana, etiam calua durior

rior quàm cerebrum. Quàm dij immortales dedeceret ordo, si dura membrana cerebrum proximè obtegeret, mollis autem ossi accederet? quàm tristis semper & querula homini vita foret, si molle duro collideretur? quare quæ dura est, perpetuò concludit ambitu mollicullam & tenellam, quæ adhuc cerebrum intrat, eo naturæ consilio, vt cerebrum, quod partim mollius, partim siccius esse necessum est, congruo discrimine secernatur: simul vt in cerebrũ effundãt sanguinem, per earũ venulas, conuenienter concoctũ, quòd sanè non alia posset via. A membrana igitur compactiore, & firmiore, per cõmissuras caluæ quibusdam eius villis ascendente, ea coalescit membrana, quæ caluam foris contingit, & ad frontis os, cæteraq; obducta ossa, protegmi ne sensuq; præstãdo, accedit. Sed quid dixeris de ea, quæ inventa est olim calva sine suturis? Dicam ego, portentum hoc fuisse: itaq; portentosum naturam illi ortum assignasse. Ab his etiam dua- Calua sine suturis.

 bus

bus membranis oriuntur duæ, quæ ſpinæ medullam concameratim obtegũt, perinde atq; obtegere ſolẽt cerebrum: vnde ſpinam eiuſdem eſſe ſubſtantiæ, vel ferè, non iniuria aſſuerauimus.

Lateris membrana Deſcendenti per iugulum, pectusq; occurrit membrana lateris, à plerisque πλευρὰ dicta à qua, de quorundam ſententia, quæ ſuperius attinent membranæ, ortũ referunt. Sed quam falſò opinentur, eo conuinci poſſunt argumento, quòd duæ illæ membranæ, quæ cerebrum obtinent, de cordis neruo fiũt. Illud ſanè conſtat, à membrana, quæ nomen à latere inuenit, tum exoriri eã quæ obuoluit pulmonem, tum conflari eam quæ περικάρδιον, hoc eſt cordis inuolucrum dici poſſet: tum eam, qui mediaſtinus appellatur, in partes æquas pulmonem diſpartiens: tum eam, quod διάφραγμα alij vocant, nos ſeptum dicere poterimus. Membrana autẽ lateris tenuiſſima eſt, coſtasq;, muſculosq; intercœptos operiens, dura admodum, exactiſſimiq; ſenſus, vt ex

Περικάρδιον. Mediaſtinus. Διάφραγμα.

morbo,

morbo, in quem homo incidit, pleuritide declaratur, in quo simul ac virulenta materia ipsam obsederit, dolor exoritur intolerabilis, & ægri latus veluti impacto veru mirè fodicans. Et sanè morbi vis est, vt is qui torquetur, incredibili febris ardore æstuet. Sanies enim haud longo interuallo disiuncta à cordis æstu, mirandum in modum eferuescit: tum vix fiunt anhelitus, & ægrè ducuntur spiritus, oppressa respirandi vi à nimio & acerbo dolore, quę non audet pectus attollere, & aërem vltrò citroque reddere & accipere. Arteriarum pulsus in cacumine membrorum maximè euidens, index morborum, tensus & instabilis est, & crebris interuallis & ictibus, serræ modò ferientibus pollicem, mouetur. Tussi atroci fauces quatiuntur, dum nihil expuitur: & id nimirum, si pestiferæ saniei mira paucitas stillarit in pulmonem: at si magna copia illapsa fuerit, & creando, & tussiendo virus illud excernitur. Id autem morbi genus, dolo- *Pleuritis.*

Lateris dolor. rem lateris Horatius appellauit. Quod latus immeritum (vt cecinit Q. Serenus) morbo tentetur acuto. Hic morbus tum ægrum mitius accipit, cum sanies abſcederit in muſculos, coſtas interiacentes, aut internos aut externos: quanquam ex his dolorem etiam capit, quæ haud longè abeſt, membrana, qui cum non poteſt non agi infeliciter, quando vicinus (quod tritum verbum eſt) paries ardet. Sed optandum eſt, ne viroſa ſanies delabatur in membranam: nam dum muſculos tantùm occupat, interea & ſalutis ſpes eſt, & dolor inſanus, tardo incitus ictu, minus atque minus furit. Propterea huiuſmodi ægritudinem medici alio nomine dignantur, vocantque φλεγμονὴν. *Phlegmone.* Sed quæ pulmonem tenuiſſima ambit foris, propterea facta eſt, vt illum ſub ſua contineat figura: ſimul vt ſenſum, quantuluſcunque ſit, illi largiatur.

CAPVT

CAPVT XI.

De Septo transuerso deq; superiore, & inferiore alio.

DE septo trãsuerso nihil etiam non dicendũest, licet officij ministrum sit membrum, quo aluus inferior superiorq; disterminantur: ob idq; Aristoteles διάζωμα nuncupauit, in hunc vsum dũtaxat ratus à natura homini datum. quod tamen alios vsus præstare compertum est, & eos potissimum, vt & pectus pro tempore adducendo, vicissimque laxando moueat, & intestinis onus naturæ deponentibus ferat opem. Plato autem, & cæteri veteres philosophi, τὰς φρένας ea quidem ratione id appellandum censuerunt, quòd male affectum, mentem quoq; perturbatione aliqua afficit, & penè ad diram phrenetidem adigit Permultas enim neruorũ propagines excipit, cum cerebro communes. Hic sanè se propinant mihi irridendos, quidam bonarum literarum infestissimi hostes: qui boni

Septum transuersum. *Διάζωμα.* *Phrenes.*

aliquid

aliquid quasi in cõmune allaturi, scripserunt, φρένας ab antiquis septum dici, tanquam frenum mentis: atq; (si dijs placet) chartis illinendum huiusmodi commentum diligenter curarunt, perinde quasi egregiam scilicet nominis interpretationem studiosis medicinæ inuidere magnum nefas arbitrarentur. Sed quia mihi non est in animo, luctari cum huiusmodi nebulonibus, qui neque natare (vt aiunt) neq; literas didicerunt, iccirco reuertendũ est ad propositum. Iure igitur φρένες septũ transuersum antiquit⁹ dicebatur, quia mentem custodiat. nam φρὴν mens appellatur, vt Homerus eo hemistichio tã sæpè indicat, τὰ δὲ φρεσὶ βάλλεο σῇσι. id est, Atq; animis mea hæc figite dicta. Idem φρένας ἐμπέδους vocat, id est, mentẽ stabilem & firmam. Idẽ quoq; inquit φρένες ἠέρεθονται. Et, τῶδε φρένας δ' εἵλετο ζεύς, hoc est, φανερῶς ὅδε διὰ τὸν διαέπ' ἀφροσύνης κεῖται. Hinc deductum est postea φρονεῖν, φρενήρης, φρενοτήγιον, φρενοκλοπεῖν, φρενοτέκτων ἀνήρ, φρενοβλάβεια, id est, ἡ τῶν

φρε-

φρενῶν βλάβη. &, φρεσὶν ὁρμαίνειν id est, mente aliquid agitare. Huic certè septo referri acceptā subtilitatem mentis, Aristoteles libro tertio de Partibus animalium tradit: & ideò existimat nullam ei esse carnem, sed neruosam exilitatem: & in eodem præcipuam hilaritatis sedem constituit, quòd titillatione maximè intelligatur alarum, ad quas ea subit, non alibi tenuiore cute humana. Ob hoc in prælijs, gladiatorumq; spectaculis, olim (vt ait Plinius) mortem cum risu, traiecta præcordia attulerunt. Is ne fictus risus esset, an verus, alijs iudicandum relinquo. Equidem ex animo prodire existimant quidam, & nō eum simulatum, quem nobis scitè descripsit Homerus Iliados ο, de Iunone loquens, *Alarum titillatio.*

—ἡ δ' ἐγέλασσε χείλεσι,
οὐδὲ μέτωπον ἐπ' ὀφρύσι κυανέῃσι ἰάνθη.

& Vlysseæ υ, procorum fatalem risum exponens, —Μνηστῆρσι παλλὰς ἀθήνη.
Ἄσβεστον γέλον ὦρσε, παρέπλαγξε δὲ νόημα.

Οἶδ᾽ ἤδη γναθμοῖσι γελοίων ἀλλοτρίοισι
Αἱμοφόρυκτα δὲ δὴ κρέα ἤσθιον, ὄσσε δ᾽
ἄρα σφέων
Δακρυόφιν πίμπλαντο, γόον δ᾽ ὠΐετο θυμός.

Ratio quæ illis persuadet, ea est, quòd huiusmodi risus mouetur τῇ τοῦ διαφράγματος κινήσει, id est septi agitationẽ, & subito feruore. Verum quàm probabili vtantur ratione, vt perpendam, non est quod me remorẽtur: ad institutum meum igitur redeo. Hoc nimirum septum recipit membranam eam, quam nomen à latere habuisse diximus, partemq; huius gulam, qua ingestus cibus deglutitur, tutelæ gratia eius potissimũ partis, quæ principium vitæ sit. Nam cum princeps actionum patitur, & ministri consentiunt; rursus, si occubuerint illi, non è vestigio exanimatur cor. Ita enim fit, vt etiam calor ille præellens, qui alioquin necessarius fuit, si diffundi longè lateq; debet, refrigeretur aqua, quæ in operculo concreta detinetur: vtrum autẽ detineatur, certant medici, & adhuc sub iudice lis est. Sed hic

hic parumper regrediamur, vt dicamus membranam, qua obteguntur os linguaq́;, eandē esse, progrediendo nonnihil eius in gurgulionem obtegendum, eamq; fistulam, qua cibus deuoratur, transire stomachum atq; intestina. Quod eo deprœhensum est, quia quoties nausea agitatur stomachus, continuò labiorum præsertim inferna pars contremit & palpitat. Iamque ad aluum, quæ ad vmbilicum subsidet, conuertamus orationem. Sicuti de superiore aluo sumus præfati, ita & de inferiore habet. Itaq; membrana quæ costas diminutas, abdoménque suprà infráque custodit, hæc ponè omentum est: ab hac in iecinoris summum operculum transmittitur, perinde atque paulò ante de pulmone recensuimus. Atq; hunc in modum de membranarum dissectione à nobis breuissimè explicatum sit: si illud etiam addiderimus, scitu dignum, & vsu comprobatum, ossa nimirū suis dispoliata membranis derepente siderari.

De aluo inferiore.

CAPVT

CAPVT XII.

De Carne eiusq; diuersitate & vsu.

Carnis diuersitas. NVNC pauca de carne dicamus: cuius multiplex esse genus constat: aut enim glandulosa est, vt testes, mammæ, & ea quæ ad radices linguæ cernitur, simulq; quæ ad alas subsistit, quæq; ad inguina subit, & retro ad aures recipitur: aut caro est mera, quamuis pleraque ligamina ad eam pertineant, & hæc caro minima est: aut est ea, quæ neruo tendonique commixta musculum efficiunt, & hæc est animalium maxima portio. Præter has, est alia caro, vt cordis, iecinoris, lienis, & *παρέγχυσις* renum, quam *παρέγχυσιν*, id est suffusionem dicunt. Est etiam caro gingiuarum. His itaq; hunc in modum definitis, perspicuum est, nullam posse defnitionem ad carnem in vniuersum accommodari. *Caro quid?* Caro glandulosa frigidula est, vt in testium mammarumq; dissectione monstratur. Sed caro simplex, quæ ad ligamina pertinet, calidiuscula

est.

eſt. At ea quæ ad muſclorum integritatem procedit, calidiuſcula: item & ſicciuſcula: quamuis enim ex humore alatur calido & humido, tamen motibus continuis, quibus muſculorum genus ſubiectum eſt, humore expreſſo ſicceſcit, & demum dureſcit. Caro multas aſfert vtilitates, & commoditates: nam alia corpus, quod ſine ea ſinuoſum eſſet, opplet, ab ingruentibuſq; malis tutum reddit: alia fœtu generando, ſeruandóque vtilis eſt: alia remolliendis tū neruis, quia validis motibus deſtinati ſunt, tum oſſibus, quæ ſicciſſiæ ſunt compoſituræ, vacat: ſimul &, vt ea vbi opus eſt illis ſubſternatur, ne durum duro collidatur, vt in ſeſſione fieri accidit: nam niſi ea quantulacunq; caro coxis ſubderetur, haud ſedere homo poſſet, niſi maximo coxæ attritu. Alia eſt, ſine qua non ſtaret vita: alia eſt, vt dentes coëant, firmenturque radicitus. *Carnis vſus.*

Atq; hactenus de multiplici carnis genere.

BASSIANI LANDI PLACENTINI DE HVMANA HISTORIA LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

De Musculis & quidem gutturis, alui, manus fæmoris, deq́; illorum definitione & vsu.



E ossibus pariter, & neruis, abũde primo diximus: nunc sequitur, vt de musculis edisserendum sit: quorum futuro medico æquè pernecessaria esse iudicatur, atque ossium ac neruorum cognitio. Nam eæ corporis partes, cæteris omnibus veluti fundamenta iacta, medicum summopere iuuant, siue is candenti ferro adurat, siue tenaci forcipe diuellat plumbeam glandem, machina terrifico quam fulminat ænea plumbo: siue aliquam corporis partem recidat, quò vitiatus humor, & pestifer abscederet.

Faci-

Facilius quoq; omnium interiorum sedes, venarum & arteriarum ductus, veniunt in notitiam: extremum, tot genera morborum, quæ intus forisque crassantur, nullo fermè negotio ediscere curaréue poterit. Quanquam hoc tempore omnium disciplinarum ordo inuertitur à quibusdam hominibus, quorum barba, pallium, & supercilia, magnam τὴν ἀλαζονείαν planè clamitant. Ego tamen, ne quicquàm præpostere tradatur, & præuersum ac perturbatum sit, musculorum naturam in primis exponam: deinde non multo pòst, quàm spiritus semitas atq; sanguinis riuos ostendero: ad viscera intestináque contemplanda me conferam.

Musculus itaque est caro fibris contexta, & in muris propè modū à natura efformata, cuius alu⁹ latiuscula est, caput autē perexiguum: tēdine terminatur, qui mēbranę interdū persimilis est: aliàs globum quendam neruis & ligaminibus circumductum refert. Partes musculi vsquequaque sui simillimas, *Musculus quid.*

atq;

atq; rationem cum toto communem subeuntes habuerunt: fibras eis natura pro loci & offici; commoditate variè ingenerauit, aliquando latas, nonnunquam longas, interdum transuersas. Vnde multi cognomen ex euentu nancisci tradunt: aut enim latos, aut longos, aut trāsuersos musculos aiunt nominari à diligentibus scriptoribus. Ij omnes vsui non mediocri membris esse solent: nam motibus oppidò quàm varijs seruiunt: aut adducunt, aut circumagunt membra: postremò nullum motionis genus in nobis sponte promotis citatur, quin musculis feratur acceptum. Præterea subiectas sibi partes quodammodo muniunt, operiuntque, & vocem formandam mirè iuuant. At ij quibus minor actio credita est, ij ipsi in summo extāt: insigniores, citius delitescentes suum officium sedulò faciunt. Quod qui- [illegible] ex fibrarum situ deprehen- [illegible] priùs quàm ad singularum [illegible] ıusculos venio, erit operæ-

Musculorū vsus.

preci-

pretium intelligere, an iure cor ipsum in musculorum numerum referri possit: non enim ex veteribus defuere, qui musculum propterea esse id putarunt, quod eius carnem mirandum in modum rubere conspiciebant. Rubens enim color ita necessariò sequitur musculos, vt candor solet omnino vngues sequi. Sed isti vehementer errant: nam musculus quique non habet quodq; fibrarum genus. In corde verò omnes fibras inesse perspicuum est: & illas quidem longè crassiores, quàm in alijs musculis cernimus: quia perpetuò sunt in opere, dum cor iugi motu cietur: id quod etiam Galenus cùm aliàs sæpè, tum sexto libro de Vsu humani corporis partium, his verbis testatur. Σάρξ ἐστὶν ἡ καρδία σκληρὰ, καὶ δυσπαθὴς ἐξ ἰνῶν, πολυειδῶν συγκειμένη, καὶ κατ' ἄμφω ταῦτα, κἂν εἰ παραπλήσιος εἶναι δοκεῖ τοῖς μυσὶν, ἐναργῶς αὐτῶν διαφέρει. τοῖς μὲν γὰρ μονοειδὴς ἐστιν ἡ τῶν ἰνῶν φύσις. ἢ γὰρ εὐθείας μόνον ἔχουσι κατὰ τὸ μῆκος ἑαυτῶν, ἢ ἐγκαρσίας κατὰ τὸ πλάτος ἅμα δ' ἑκατέρας οὐ-

Cor an in musculorũ numero.

θείς. ἡ καρδία δὲ καὶ ταύτας ἀμφοτέρας ἔχει, καὶ τρίτας ἐπ' αὐταῖς λοξάς. ἀλλὰ καὶ σκληρότητι καὶ τόνῳ, καὶ ξυμπάσῃ ῥώμῃ τε, καὶ δυσπαθείᾳ πολύ δή τι διαλλάττουσιν αἱ τῆς καρδίας ἶνες ἁπασῶν τῶν ἄλλων. οὐδενὸς γὰρ οὕτως ὀργάνου συνεχὲς ἢ σφοδρόν, ἐστι τὸ ἔργον, ὡς τῆς καρδίας. ὅθεν εὐλόγως εἰς ῥώμην θ' ἅμα καὶ δυσπάθειαν ἡ τοῦ σώματος αὐτῆς οὐσία παρεσκευάσθη, τὸ δ' ἐπολυειδές τῶν ἰνῶν μηδενὶ μὲν ὑπάρχει μοί. & ſeptimo de Aggreſſionib. anatomicis. διὰ τοῦτ' οὖν οὐδ' οἱ μύες ἔχουσι τῇ καρδίᾳ τὴν αὐτὴν ἐνέργειαν, ὅτι μηδὲ τὴν οὐσίαν. ἀμέλει κἂν ἑψήσας τις ἅμα καρδίαν τε καὶ μυῶν ὁντιναοῦν, ἑκατέρου γεύσασθαι βουληθῇ, διαφορὰν εὑρήσει κατὰ τὴν γεῦσιν αὐτῶν οὐ σμικράν. id eſt: Ob id igitur neque muſculi eandem habent, quam cor habet, actionem, quia neq; ſubſtantiam. Porro ſiquiſpiam cor pariter, & muſculum quemuis concoxerit, & vtrumque deguſtare voluerit, differentiam guſtatu non mediocrem percipiet, ac inueniet: & non multo poſt, acerbius iſtos coarguit. Ἁμαρτάνουσι πρῶτον μὲν ἐν αὐτῇ τῇ καὶ οὐσίας ἀγνοίᾳ. καὶ γὰρ σκληροτέρα μυὸς

μυὸς παντὸς ἡ καρδία καὶ τῇ τῶν ἰνῶν ποικιλίᾳ διαφέρει σαφῶς, ὥσπερ γε καὶ τῇ χρόᾳ καὶ παρὰ τούτοις ἅπασιν, ἔτι δὴ καὶ μᾶλλον τῇ γεύσει. καὶ γὰρ καὶ τοῦτο μέγιστον ἐστὶ γνώρισμα διαφορᾶς οὐσιῶν. ἀλλά μοι δοκοῦσιν οὐποτε καρδίας ἑψημένης φαγεῖν. id est: Primũ quidem errant, quod ipsam cordis substantiam ignorant: etenim durius omni musculo est cor, & fibrarum varietate ita planè differt, vt etiam colore, & multo magis gustu: id namq; diuersæ substantię maximum est indicium. Cęterum mihi videntur de corde cocto nunquam edisse: hæc Galenus. Vnde apertissime illi cõuincuntur mendacij, qni cor esse in musculis contendunt. Cæterum quia mihi non est in animo omnia ad amussim persequi, ideo initium sumam à gutture, deinde ad subiectas partes descendã, musculorumq; numerum strictim perstringam.

Gutturis musculi. Cartilaginibus igitur gutturis viginti sunt musculi. Ex his duodecim esse proprij cartilaginum censentur, octo autem cum alijs partibus communes.

Rur-

Rurſus duodecim illi nō vnū atq; eundem præſtant vſum: quatuor enim diligens Natura præfecit negotio connectendi cartilagines: totidem adaperiendi, duo autem claudendi gerunt curam: reliqui duo in multis animalibus inuenti, nnc ociari deprehenduntur. Octo verò illos, qui partibus circumſtantibus adhæreſcunt, præeſſe explicationi, ſcribit Galenus ſeptimo libro de Vſu partium humani corporis. Sex in oculis numerantur, varij motus duces: vnus quidem ſurſum adducit: alter verò deorſum deducit, duo ad latera mouent, totidemque quoquo verſus circumagunt. Plurimi linguam omni ex parte obſederunt: ſuperiores nimirū ſurſum attollunt, inferioribus ſubſidet lingua, reliquis in latus agitur. Inter cutem ſuperciliorum, & membranam, duo muſculi viſuntur, ſupernas palpebras mouentes: hic à minori angulo, ille à maiore. Labiorum muſculi vſque eò cute commiſcent propter varios motus, quos ipſis afferunt,

runt, vt referre non magni existimauerit Galenus, musculumne appelles cutem, aut cutem musculosam. Eius autem verba subscribere, forte non erit ab re, nec alienum ab instituto opere. ἡ τῶν χειλῶν οὐσία μόνη τοιαύτη γέγονεν, ὥς ἤτοι μῦν αὐτὴ δέρματος ἤδη καλεῖν αὐτὴν ἐνδίκως, ἢ μυῶδες δέρμα. Hi sanè principiò diuisi, & partiti tantisper excurrūt, donec in labia irrumpentes, miro Naturæ artificio coeant, & mutuò temperentur, quemadmodum inquit Galenus, proxime recitata verba, pauca etiam hæc de iisdē musculis subiungens. ὅθεν ἐκ δέρματός τε καὶ μυὸς αὐτὴν συνεκράσατο, τέτταρες δ' εἰσὶν ἀρχαὶ τῶν εἰς τὰ χείλη καθηκόντων μυῶν, ἐναργεῖς μὲν καὶ σαφεῖς πρὶν ἀναμίγνυσθαι τῷ δέρματι, συγκερανύμεναι δ' αὐτῷ παντελῶς ἀσαφεῖς εἰσί, καὶ ἀχώριστοι καὶ ἐκείνων φύσεως. ὅλη γάρ, ὡς εἴρηται τῇ μυώδει φύσει κραθείσης τῆς δερματώδους ὅλης, τὰ χείλη τοῖς ζώοις ἐγένετο. Pectus beneficio musculorum attollitur, vicissimque residet, cum septi, tum colli, tum eorum qui costarum intersti-

tia occupant. Hi enim non pauci sunt. si duodecim costæ in sinistra parte, vndecim efficiūt interualla, totidemq; in dextra, profectò subducta ratione XXII. musculos esse colligas licebit. Deinde in summa costarum parte duo numerantur, in ima totidē: ijs si accesserit trāsuersum septum, in ampliorem numerum crescent, septem & viginti nimirū erūt. Adde tres colli musculos, dorsi septē, imi ventris octo, in eam subinde rationem sanè quadraginta quatuor numerādo percēsebis. Aliqui verò, qui musculos singulo interiectu costarum à se diductos minime probant, bipartitò diuidi, tū in exteriores, tum interiores, quadrifariam dispartiuntur. Itaque numero octuaginta octo commetiuntur: sed quàm rectè, ipsi viderint. Quis obsecro ad fibras variantes, distraxerit itidem musculos? Galenus certè, musculum vnum (quanquam multas habet fibras) nominare consueuit, nec vllam facit varietatem. Ad hæc, ista tam diligens ratiocinatio ad septē duntaxat

veras

veras costas pertinebit. Ad reliquas autem quinq;, quę exeunt in cartilagines, non item: propterea quòd earum fibræ nullam habent varietatē, sed vno semper modo proreptant: quo quidē planum fit istos nimis exigue & exiliter rationes conferre, & calculos subducere. Equidē fateor, exteriores musculos astringere, & cōprimere: rursus, interiores dilatare, & explicare, sicq; , quadraginta quatuor nō amplius, computando dinumerare soleo: vt omniū, quę reuocantur ad calculos, par sit ratio.

Proximè hos, sequūtur alui imæ musculi, qui tametsi mutua coitione iungi, & arctis amplexibus inter sese cohęrere videntur, nihilominus quippiam eos posse peruadere, non inficias ibo. Ferro enim traiectis, peritoneū illapsa planè intestina musculum vnū intra, & item alterū sentiuntur, cęteroquin tantopere non dolerent. Cum enim hæc membrana intestinis prætendatur, credibile est, per vulnus acceptum, liberum patere aditum ad proximos musculos. Octo

Alui musculi.

Octo sanè recensentur, ac verò primus qui nobis occurrit, bene latus est, à costis ortus ilia operit, atque descendens ossibus pubis arctè deuincitur tendine. alter ab osse ilij ascendit, progrediens ad costas in cartilaginem exeuntes. Alij subinde sunt musculi, & illi quidem longi, qui operiuntur tendinibus. Deinde transuersis, alij subsident lati, qui porrò suos transmittunt tendines, cum abdomine coeuntes, subtus ipsos musculos longos, qui ab ossibus renum exoriuntur, officia & partes pro commodo tum halitus, tum intestinorum suscipiunt, intestinis confectum & consumptum cibum detrahentibus. hoc est recrementa æquabiliter exprimentibus, cumulatè satisfaciunt officio suo. Propterea sui lena & consultrix Natura, vtrinque bina latera quaternis præmuniuit musculis, qui similiter intestina comprimunt, ac si manus ambas dextra sinistraque comprimentes cogitatione fingeres. Nobis naturaliter expirantibus, eum præstant vsum, quem suffla-

ſufflationi leui buccarum, muſculi coſtarum interpoſitu dirempti, quemque faucium valido ſufflatu, & gutturis, voci & linguæ, locutioni præſtare ſolent. Verumenimuero tibi perſuadeas nolo, etſi opem ſuam ferunt inteſtinis, ne excrementa longiorem moram intus faciant, quàm tempus poſtulat, illos tamen eò datos eſſe, vt ea retineant, & trahant: quod multi falſò opinantur. Nam recremēta ideo detinentur, quia ſinuoſa ſunt inteſtinorum volumina & involucris implicata multis. Muſculus ani, qui à Græcis σφιγκτὴρ dicitur, valide inteſtinum rectum conſtringit, ne ante temporis curriculum excrementa exeant. Paulo ſupra anum poſiti ſunt duo muſculi, qui ſimulatq; laxantur, procidit, tum maxime pueris, rectum inteſtinum. Veſicæ ceruix, muſculo tranſuerſis compoſito fibris vtitur ad vrinam emittendam: tortuoſa dirigitur ab eo, vt interdum humor citius profundatur. Penis vtroq; ex latere munitus, ea re tenditur, vt quoquo verſus pro arbitratu no-

Recrementorum detentio.

tu nostro moueri queat. Testium musculi habent tendines, qui didymis admiscentur.

Manus musculi.

Age verò, priusquam ad fœmur descẽdo, de musculis ipsius manus quàm breuissimè dici possit, reor esse dicendum. Viginti itaque septem enumerantur. Cubitus exterior nouem occupat, interior septem, totidemque in extrema manu cernuntur, in brachio quatuor, instar literæ x mutuò sibi incumbentes perspiciuntur, ij autem omnes, huiusce artus variis motibus, non sine tamen ossium ope, diligenter famulantur, vt latissimè in commentariis de Vsu partium corporis humani conscripsit Galenus, ob idq; in præsentia singulorum vsu supersedeo.

Fœmoris musculi.

Iam ad fœmur venio, cuius musculi nouem esse deprehenduntur, primus è media spina ortus, per os ilium ad interiorẽ fœmoris partẽ exporrigitur, atq; mox ad genu descendit: alter caput attollens ad os ipsum, quod pubi desidet, per summa fœmoris interius decurrit,

tertius

tertius iuxta posteriorē fœmoris partē, per poplitem obliquo ductu ad internam tibiam delabitur. Quartus tibiam qui cum extrinsecus committitur, simplici motu totam ducit in extremam partē. Quintus ex ossiū pubis copulatione enatus, tibiam ad latus intrò torquet. alius genu flectit, tibiamq; intus adducit: foràs abducit alius: alius totū femur flectit, & cōtorquet, alius oblongus quidem, ortus de osse ilium, tibiam sursum contrahit, pariterq; extendit. Præter hos omnes est perexiguus musculus in poplite, genu flectens. Habent itidē suos musculos suræ, & tibiæ, quos pictura præstaret ante oculos ponere, quā accurata oratione persequi: quod sanè nihil dubito, in viuis hodie esse, qui istud moliantur, ijs dij fortunent ita diuinum opus, & parem gratiam reponant pro tanto labore, cura, diligentia, opera, quam ponunt in bonis artibus reparandis, quæ diu quorundam negligētia & incuria penitus iacuerunt. Spero quidem, si pergant viri boni, & lingua-

Hortatio ad artium reparatores.

guarum studiosi, vt hactenus, studia excolere, breui fore, vt formæ suæ, quæ nulla abhinc multos annos apparuit, disciplinarum genus omne restituatur. Cuiuscunq; tamen modi res casura sit, bene ominemur. Certum est, nos dum vita superabit, ab instituto opere, qualequale futurum est, nolle desistere, dum possimus modò & tibi & aliis aliquam vtilitatem afferre. Idem quoque cæteris, qui rei literariæ benignè fieri cupiunt, & prodesse magnopere possunt, faciendum censeo, atq; optatum illud Hectoris Homerici sæpius memoria repetendum, quo monetur omnes mortales, ne vitam cum silentio veluti pecora transigant. Is sanè Hector non frangebatur animo propter vitæ cupiditatem, quæ illum manens conficeret angoribus, dimissa molestiis omnibus liberasset: sed per dedecus & ignauiam amittere eam dolebat. Quocirca optabat, ne sibi ferro erepta, ex humanis decederet ἀσπουδεὶ καὶ ἀκλεῶς, ἀλλὰ μέγα ῥέξας τι καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι. Quid amabo

Hectoris votum.

mabo

mabo homini turpius & miserius contingere potest, quàm hebescere & languere in otio? Quid inertissimo ac desidiosissimo homine, terra peius creat? ecquod magis ἐτώσιον ἄχθος ἀρούρης? Nullum sanè, nullum detestabilius vitium, vitam nostram turpitudine fœdare potest. Præter enim quā quod langorem, morbos, ægritudines, otium afferre solet, seminarium etiam existit cuiusque pestis, quę homini ab homine nascitur. Itaq; tibi singulares gratias ago, qui me in otium penè relabentem, sustinuisti, & in medio huiusce mei propositi laboris cursu, planè desperantem, in bonam spem erexisti. Si quid igitur boni attuli, non mihi, qui parui, sed tibi, qui persuasisti, debebis.

CAPVT II.

De Venis totius corporis, deq; illarum definitione, sectione, ortu, cordisq; principatu.

SEd iam orationem dirigamus ad id, quod de partibus humani corporis

reliqui fit:atq; in primis à venarum definitione sumamus initium, de arterijs subinde dicturi, ea quidem qua consueuimus breuitate, & sermonis quoad fieri poterit perspicuitate. *Venæ.* Venæ itaque sunt vasa primos seruãtia humores, qui necessitatis tempore in corpus diffusi vniuersum, tandem caducas nostri corporis particulas reponunt. *Venarum forma & ratio.* E qua definitione depromitur occasio figuræ suæ oblongæ. Nam, cum effundere passim humorem debeãt, teretes eas esse necesse est: sub hac enim figura vnicuiq; corporis membro præstò esse possunt. Emergit item illud, quod solidæ naturæ esse cõuenit, vt seruarent custodirẽtq; succos, qui fluidæ sunt substantiæ. Neq; tamen eius duritiei esse, cuius sunt ossa, expediuit, ne acerbam tristemq; perpetuò vitã ageremus: quare quãlibet (vt ferè dixerim) corporis portionem attingere alioquin necessariũ fuit. Sunt etiã frigidæ, & siccæ, vt humorem, qui plurimũ calidus est, & humidus, temperare sua possit facultate. Et proinde ea esse plenis-

plenissimam definitionē nobis asseueremus, quandoquidem ex ea affatim affectiones deprehendantur omnes. Plinius, sanguinis riuos nominat: sicut arterias, spiritus semitas interpretatur. *Arteria* Alij dicunt, venam esse cōceptaculum sanguinis, quod ἀγγεῖον medici vocant, misti confusiq; cum spiritu naturali in quo plus sanguinis est, minus spiritus à Græcis autem dicitur φλέψ, παρὰ τὸ τὸν *φλέψ* χυμοειδές ἔρον φλεγμὸν περιέχειν. τουτ᾽ἐστὶ, τὸν αἵματος. φλέβες οὖν, παρὰ τὸ δι᾽ αὐτῶν βαίνειν τὸ φλογῶδες. à Cicerone sic definita est: Vena est, per quam sanguis in omne corpus diffunditur sicut spiritus per arterias. Veteres autem medici, & *Vena pro arteria.* qui latine locuti sunt, venam pro arteria dixerunt: quanquam venæ quidem suapte vi immobiles sunt, & sanguinis tantū mittendi gratia explorantur: arteriæ autem micare non desinunt, atq; motu suo habitum & modum febrium demonstrant. Quomodo enim Græci dicunt, ἅπτεσθαι καὶ φλεβὸς, ἀντὶ τοῦ καὶ ἀρτηρίας, sic propemodum elegantes in

Venam tangere. in dicendo Latini, tangere venam, hoc est arteriam, crebro vsurpant. Cicero de Fato: Si cui venæ sic mouentur, is habet febrim, & is non habet: id est, arteriæ, quarum crebri aut languidi ictus, febris vim nobis indicant. Cornelius Celsus, medicus bene latinus, cuius linguam qui admiratur, pectus non item, illi mea quidem sententia vehementer errant: Celsus inquam libro tertio, capite quarto, venam itidem pro arteria accipit. Venis enim (inquit) credimus, fallacissimæ rei, quia istæ sæpe leniores, celerioresve sunt, & ætate, & sexu, & corporum natura. Idem alio in loco: Periculosissimum tum est, si venæ quæque iti vehementer agitantur. Idem: Si venæ non æquis interuallis mouentur. Idem: Vbi venarum exigui imbecilliq; pulsus sunt. Idem: Requirunt etiam, quare venæ nostræ modò submittunt se, modò attollunt. Ouidius, Tangit salientem pollice venam. Idem, Saliunt sub pollice venæ. Idem, Saliunt tentatæ pollice venæ. Persius:

Tange

Tange miser venā, & pone in pectore dextrā
Nil calet hic.---

Et verò ex Græcis, vt iā latinos omittā, vetustissimus autor Hippocrates, qui non minus elegans in medendo quā in dicendo extitit, plenissime id loquendi genus antiquum fuisse his verbis significauit. ὧν ἡ φλέψ ἡ ἐν ἀγκῶνι σφύζει, μανικοὶ καὶ ὀξύθυμοι. ὧν δ' ἂν ἀτρεμέει, τυφώδεις, id est, Quibus vena in cubito valide pulsat, ij furiosi & iracundi sunt: quibus autem quiescit, deliri. Sed quid vtor Hippocratis testimonio? cū Galenus in libello de Animi motibus corporis temperaturā sequētibus, nō solū verba Hippocratis interpretetur, quæ iā retuli, verū etiā meam sententiā cōfirmet. Eius igitur verba placuit subscribere, quo facilius quorundā opinio refellatur & refutetur. κατὰ δὲ (inquit) τὴν ῥῆσιν ὁ λόγος ἐστὶ τοιοῦτος. ὧν ἀνθρώπων ἡ κατὰ τὸν ἀγκῶνα ἀρτηρία σφοδροτάτην ποιεῖται τὴν κίνησιν, οὗτοι μανικοί εἰσι. φλέβας μὲν γὰρ καὶ τὰς ἀρτηρίας ἐκάλουν οἱ παλαιοί. id est, Verborū Hippocratis huiusmodi est sentētia:

hões ipsi, quorũ arteria in cubito, vehementissimo pulsu agitatur, insani sunt: venas etenim veteres nominabãt arterias.

Cæterum ex hac corporis parte desumpsimus multas loquendi formulas, vt incidere venam, secare venam, mittere sanguinem de vena, pertundere venam, micare venas: perquirere venas auri, argenti, terræ, arborũ, & alias longè plures, quas in tuã Philologiam, non eo ordine quo hodie cæteri, verba duntaxat sectantes, planè neglecta scientia, cõiecisti. Sectam autem venam nõ hominibus stupentis animi, atq; à naturali habitu declinãtis tantummodo prodesse, sed etiam ijs ipsis qui minus sani videntur, vetus cõsuetudo indicat. Fuit enim antiquitus militaris animaduersio, iubere militi venam solui, & sanguinem mitti, amouẽdæ stupiditatis causa: postea propter alia pleraq; delicta factitatũ idem est, vt nõ tam pęna quàm medicina delinquentibus, quasi parũ sanis esset. Alios quoq; præstat vsus integra vena, necdũ soluta intra corpus: quos ape-

A vena loquendi formulæ.

Vena secta.

aperiemus postea, quàm direpta lis ea fuerit, de venarum ortu. Hincq; exordium ducendum est ex sententia, aliàs ab iecinore venas ad cor terminari, ac satellitum officio cordi convehere sanguinẽ, influereq; incoctum, quẽ mox exceptum, cor suaui conceptaculo absolutissime concoquit, & perficit: alias itẽ venas à corde totũ corpus subire, succoq; illo cõsummatissimo particulatim membra irrorare. Quare partim verè dicitur, venas à iecinore pertinere, partim, à corde, verisimilius. Quo n. sanguine enutrimur, is proximè à corde deditur, & permanat. In hunc itaq; modũ sublata sit, aliàs difficillima, dissensio.

Venarum ortus.

Sed ad institutũ opus regrediamur, multisq; aliorum omissis dictis, rem ipsam attingamus, prænunciemusq;, nõ adeò illis incertam esse originem, quin cor eum esse fontem, certissima adnixi ratione, conuincamus, si cor omnium quæ in corpore sunt membrorum causa sit, & primordium: vt mirandum sit, aduersæ sententiæ assertores, tot in cor-

Cordis primipatus.

pore nequicquã contra philoſophiã aſtruxiſſe ſibi principia. Sed enim cor perinde ſe habet, atq; eiuſdẽ artificis dextra, quæ malleo ferramẽti genus omne componit, ſecuri verò aut dolabra nauẽ ædificat, latera, carinas, prorã, puppim, antennas, malum, aptè accommodãs. Hic quęſo quis mihi non dederit, ferramẽti nauigijq; eandẽ dextrã fuiſſe autorẽ? Neq; verò illud minus in quæſtione nobis ſubuenit, quare cor primũ ſit vivens (quod poſtea monſtrabimus ita ſe habere) quod nihilominus nõ negauerit aduerſarius, ſinus illos cum venarũ arteriarumq; propagine produci: præterea quæ emanat officina inſtrumentum, eandẽ & quæ deinceps ſunt, quanquã operam ſuã quãtamcunq; illi præſtant. In dubio autẽ non eſt, caloris illius ſuauis, quo abſoluitur ſanguis, cor ipſum opificem, vel diſpenſatorem eſſe: quare & conceptaculorum, quæ venæ ſunt, ſanguinis gerulæ. Ad hæc multiiugis facultas actionis eiuſdem, multis vna ratione diſpartita, vni præcipuè

cipuè tribuitur, & potissimum. sed perinde se habet membrum ad membrum, sicut vis ad vim. Quare cum vis cæterorum membrorum in corde excellenter sedeat, ita & membra cætera in corde excellenter latitabunt. Quare item vnum sit initium, quo sumus, & conseruamur. Conseruatio autem diuturna non fit sine cōsummato sanguine, cuius sit cor principium Quare venas ab eo deduci, nemo ambiget: quas sanguis transcurrens, in membra singula perfluat. Atqui non negandum illud est, etiam quasdam venas ab iecinore exoriri: nam quæ couehit succum in cor, vbi plenissime decoquitur, quæq; exsugunt ab intestinis ad iecur, verius dixeris ab iecinore exordium referre. Neque de his his controuersia est, sed de his quæ in membra sanguinem diffundunt: proinde earum ortus eo se habet modo. Duæ intra pectus spinæ supernæ sedent venæ, parili consortio, ei quo fistula cartilaginea gulaque in pectus deuoluuntur: altera minutior,

Venæ à iecinore ortū ducentes.

nutior, quæ ſpinam læuorſum decli-
Aborta. nans proxime apponitur, ahortáque (à cingulo Macedonico fortè nomen habens) dici conſueuit: altera auctior, quæ illam ſuperſtat, & amplectitur, in dextram potius collata ſedem, ſocietatem init: quamuis in diſſectione quam nuper conſpeximus, cõtrarium huius mirati ſimus. Hanc ſanè venam tum innuebat Homerus, cum inquiebat.

—Ἀπὸ δὲ φλέβα πᾶσαν ἔκερσεν, (ἱκάνει.
Ἥτ' ἀνὰ νῶτα θέουσα διαμπερὲς αὐχέν'
—*Venam deciderat omnem,*
Quæ ſtans dorſa ſuper vertebras tranſilit omnes.

Duæ quidem iſtæ venæ demanant è corde: ea nimirum quæ auctior eſt, ex illius dextro ſinu, qui amplior eſt, per medium ſinum arctiorem forma venæ comparata ex fillis ſolidis mox prorumpit: cute, membranáq; præter venarum natura communita, ſurſum deinde elata bipartitò ſecatur: alter ramus in pulmonis fertur binas partes, vbi rurſus bipartitò ſe diuiſerit. Quare pul-

re pulmo sanguinis tantisper abundans est, quoad vita steterit: ne fortassis errore ducaris, quod pulmo cadauerũ totus exanguis sit. Quæ res propterea est, quia desinente vita, sanguis ille, cũ pulmo sit spongiosus, obnoxius vanescit potissimũ. Alter ramus spinam, vertebram vsq; supremam percurrit, singulásq; venulas in singulas porrigit costas: vtrinq; paululũ mox elata, ramũ transmittit singulum per alas manúsq; In flexu dextri brachij inferiore, vbi altius emergit, iecoraria dicitur, quia lat' iecinoris obtinuit. Sed in flexu sinistri brachij inferno, quę priori compar est, lienaria nominatur, quia penè lienis regionẽ apparuit. Paulo pòst vena auctior, quàm se in ceruicẽ promere cœpit, in duos iterũ ramos pullulat, quorum singulus supra quoduis brachium manúsque perrepit, à ceruiceque, quam permeant ambę, nomen sibi inditur. In flexu autem brachij cuiusuis, iecoraria aut lienaria vtrique ceruicali è regione subsident, transmissisque ab

Pulmo sanguinis abundans.

Iecoraria.

Lienaria.

Ceruicalis.

amba

ambab⁹ ramulis in brachium medium venam constituunt, quæ vulgò cõmunis dici consueuit. Iecorariam iterum dicamus dirimi in alios ramulos, qui in lacertis brachij delitescunt, præter vnum, qui ad cubiti nodum perueniens, ramum à se transmittit, venámque facit communem, vt diximus: huius, quę minor est, vena, cum ramulo ceruicalis committitur, vnáque incedit: à quo vbi discesserit, bipartito rursus finditur: cuius pars familiare brachij latus penitus ingressa, ad minimum prius ea digitum, duósque qui deinceps sunt cessat: pars autem eiusdem aliquatenus elata, ad palmam pertinet. Ramus autem, quem iam dimiseramus, non procul à cubiti flexu bipartito, cuius est ramus qui iterum diuiditur, ad volam transfertur: alter ramus altius quidem, sed similiter diuiditur, ad volámque defertur: & hic ramus est, qui plurimum pro iecoraria ad sanguinem educendum inciditur. Quas autem dixi de iecoraria diuisiones (vt strictim omnia perstringam)

Communis vena.

gam) ad lineariam in vniuersum accõmodandæ sunt. Demum ab vtroq; iuguli latere, intercepta arteria aspera exurgunt duæ venæ, iugulares dictæ: quas somniferas dicere possum⁹, quod hominem per istas obreptat somnus. Has si comprehenderis, interdum linquimur continuò correptis sensibus omnibus, palpebrisque cõmissis. Quod de harum vna dixero, de altera idem suspicandum est. Iugularis itaque, cum se promit, in duas venas exit: è quibus est vna, quæ manifestior apparet: profundior altera sensum omnino effugit, venulisq; ab ea transmissis nutrimentum præbet malæ supernæ: auctioribus rursus ab eadem venientib⁹ ramis, in malam infernã discurrit, quorum aliqui ad linguæ alimentum, musculorumque, qui in eã sunt exteriorum, in fibris persimiles venas coarctantur, nõnihilq; ex hac profundiore vena ad manifestiorem venam destinatur, prius quàm hæc vena cum gula societatem inierit. Huius iterum venæ occultioris

Iugulares. Somnifera.

pars

pars tranſit ad partem caluæ auerſam, quæ eſt proter ſinum cerebri poſtremum, ex qua mittuntur ramuli, qui qartem ſuprema vertebra,quæq; deinceps eſt,intercæptam reficit. Rurſus ex eadem parte exoritur venula,ad coituram capitis colliq; delata, quæ in gracilitatem pili modò attenuatur: exitq; deinde in ramulos, quorum ſunt, qui ad membranam, quæ foris caluam operit, nutriendam permeant; & reliquum earum,carnem,quæ profundius reſedit,adit,ſanguinémq;ſub miniſtrat, indéq; ramus intra caluam recipitur, duáſque illas membranas cerebri cuſtodes alimento reſtaurat: cuius pars è membrana molliore in cerebrum funditur, perinde atq; de arterijs dicturi poſtéa ſumus. Huius venulę pręteniues in locum, quæ platea dicitur, deductæ, ſanguinem effundunt affatim. Hæ venulæ cum ſinui medio acceſſerint, proximè duas amplas venas conficiunt quæ ex loco, qui prælium dicitur, ſanguinem exugunt. Ex his ad ſinum priorem

Platea.

Prælium.

tem accedentes venę, occurrunt ibi arterijs, coeuntque vna, in membranámque obliterantur, quæ plexus mirabilis, seu rete dici consueuit. De vena hactenus auctiore, quo se habeat modo supra cor, ita coniectura iudicióque assecuti sumus. Nunc de eadem vt cordi subijcitur, quo limite, quibusve propaginib⁹ incedat, deinceps æstimabimus. Vena itaque ista, ex eodem læuo sinu exoritur: perque transuersum ex valida membrana septum descendens, propter spinam, ramum ex se ad iecur transmittit, lata admodum, sed perbreuis. Ex hac rursus multas arctiorésque venas iecur penitus suscipit. Duæ autem venę ab eadem mittũtur: altera ad cinctũ præcordiáq; aboletur, altera in supera deducitur, alam lacertũq; brachij dextri, demumque reliquis qui ad inflexum interiorem sunt venis annectuntur: prppterеáque totam venam, cui hæc committitur, Iecorariam appellauimus, vtpote quæ sanguinẽ ex iecore emittat. Ab hoc rursus trũco pergit

Rete mirabile.

Iecoraria cur.

git ad lienem vena paulo arctior, quæ in plurimos consumitur ramusculos, quibus lien sanguine sustentatur. Ab eodem item ampliori, vena ad læuam pergit, quæ lienaria dicitur, quod lienem sanguine exuberanti exoneret: de qua simili quoq; sentiendum est modo, atque de iecoraria. Quin etiam ab auctiore prodeunt duæ venæ, altera omentum subit, altera intestinũ pancreum, quod nostri medici ieiunum dicere solent. Prætenuium itaq; ab intestinis venarum series, numerosâq; propago serpit in venam omnibus communem, latioremue, quæ intestina cuncta stomachúmq; perreptat, ad gulámq; peruenit: vbi prius ea, de hac nihilominus venulæ complures propagantur in diuersa mẽbra. Redeundum rursus ad venã auctiorem, quæ spinam perpetua permeat: à qua mox, renum tenus, duæ insignis amplitudinis, in vtrunque renem descendunt venæ, quæ sequestratiles (insolenti fortasse verbo) dici possunt, penitus, qua parte purior

Lienaria ven.

Ieiunum intestinum

Vena auctior.

Sequestratiles venæ.

san-

ſanguis ab impuro aquoſóq; ſequeſtratur & ♁ primitur. Harum altius exoritur dextra, ſcitè quidem, quòd ren dexter paulò elatior ſit: à quarum ſiniſtra propagatur vena, quæ ad teſtem maris fœminæq; deſinit ſiniſtrũ. Quæ autem ad dextrum pertinet teſtem, ferè non exoritur à ſequeſtratili dextra, quin cõtingat ei permiſceri. Duæ hæ plerunq; ad ceruicem genitalis vtriuſq; hominis abolentur. A vena etiam pręcipuè magnitudinis, quę ſpinę adhæreſcit, ponè ſingulas vertebras ſingulæ venulæ reſoluuntur, lacertosq; qui ptoximi ſunt, alunt, clunesq;, lacertos quoq; ventris adeunt. Ab eadem venulæ prætenues vertebris tranſactis in ſpineam medullam alendam perferuntur. At cum demum vena iſta auctior ad imam vertebram deſierit, in duos ramos á dextra lęuaq; tota abſumitur, quorum vteruis in denos trãſit ramulos, antè quàm coxam ſubierit. Primus in renes tendit, alius capillamentis à ſe factis ad mẽbranam internã ceſſat, quã inferas partes

tegit: alius musculos suprà coxã init, alius ani musculos. Alius ad ceruicẽ genitalis muliebris properat, & ad vesicã, ceruicemq; eius: sed perexigua est hæc portio in fœminis, ampliuscula in viris, quippe quib' necesse sit plusculum uenarũ ex hac ad penem accommodari. Alius in musculos fœmoris tendit: alius ad vẽtris musculos, qui recti ventrem perambulant, continuaturq; venis, quas ad pancreum accedere diximus. Ex huius tamen venæ radicibus, nonnihil in vuluæ vterum procedit. A læua verò dextraq; de venis dicti vteri sese attollunt venæ binæ perpetuæ, in mammas sanguinis gerulæ, in lactis substantiam ad necessitatem vertendi, has interea dicamus per te licet papillares. Quamobrem periti medici, sistendo profluuio muliebri cucurbitulas non iniuria mammis admouent, quod eæ vtero & venis participient. Alius porrò ramus, aut in penem, aut vuluam delegatur: alius ad musculos fœmoris, tum delitescentes, tum oculis subie-

Papillares vena.

ſubiectos fertur. Alius per regionem ſequeſtratilis remeans, ad lumbos pertinet, extremæque papillari copulatur: grandiorq; iam comparatur vena, quæ muſculos natium adit: reliquum ad coxam permanat: quam vt ſubijt, multifariam finditur. Pars muſculos, qui fœmur anteuerſus obſident, tranſigit, pars in muſculos fœmoris infernæ regionis & familiaris effertur, pars profundius attinet. Quod ex his reſtat, vbi ad genu ventum eſt, tripartitò diſtribuitur, vna tractu hiſpido, alia familiari: alia inter vtramque ſerpit via: quæ hiſpida progreditur via, ſupra exteriorem malleolum diſtenditur, & in exteriorem pedis partem diffunditur: vulgò ſchiatica nominatur, quòd coxendici medeatur. At quæ familiaris eſt, in calcaneum vſq; deuoluitur, & mēſtrua dicitur: duaſq; ex ſe ſpargit venas, è quibus eſt quæ circa talum conſumitur, & eſt quæ pedem familiarem obrepit. quæ inter has media ramis ab ſe deflexis, cruris muſculos, tā occultos quàm *Schiatica.* *Menſtrua.*

manifestos, sine discrimine reparat. *Ischiatica.* Neq; assentiendum eis est, qui ischiaticam, quod coxendici medeatur, vulgò dictam, ex loco qui est ad caudam demitti dixerunt. Nam sensu facile refelluntur: quòd ab eodem trunco, qui ad ipsum genu est, tres illæ venæ (vt prædiximus) collabuntur, insignis amplitudinis.

CAPVT III.

De Arteriarum definitione, nominis appellatione, sede, & vsu, deq; Venarum & Arteriarum discrimine.

SATIS (vt arbitror) venarum vias, & propagines, nominaq;, quantum licuit contrectauimus. De venis pulsatilibus, quas arterias appellamus, his subijcienda est breuis commentatiuncula nostra: atq; in primis (vti solemus) à definitione sermonem ducamus.

Arteria itaque est, conceptaculum spiritus naturalis, misti confusiq; cum sangu ne, in quo plus spiritus est, minus

nus sanguinis. Nomẽ enim apertè docet nos, eum spiritũ esse capacẽ, παρὰ τὸ τηρεῖν τὸν ἀέρα, quod aërem seruet, eo dici arteriam veteres medici existimãt. *Vnde dicta*
Sanguinis quoque aliquid continere intra se, aduersus Erasistratum, & eiusdem ordinis medicos, Galenus subtiliter & doctè disputans, comprobauit. Quamobrem nonnulli τὰ ἀγγεῖα πνευματώδη, καὶ σφύζοντα; probè mea quidẽ sententia nuncuparunt. Nã continuo motu agitantur, & cordis pulsus imitantes attolluntur, vicissimq; subsident, atq; pulsant. Pulsus enim & cordi & arterijs apprimè conuenit, qui quidẽ aliud quid est amabò te, quàm διαστολὴ καὶ συστολὴ ἀδιαίρετος ἀρτηρίας καὶ καρδίας. est, intẽtio motus, & remissio, in corde & in arteria, naturalis & non arbitrarij. vel παλμὸς ἢ ζέσις τῆς ἀρτηρείας. vel ἡ κίνησις ἁπασῶν τῶν ἀρτηρειῶν, διὰ τὸ πλῆθος τῆς ἐν τῇ καρδίᾳ θερμασίας. ὅλαι γὰρ σφύζουσι αἱ ἀρτηρεῖαι. Arteriarũ autẽ pulsus morborum index, in modulos certos, le[illegible]ciq; metricas: per ætates stabilis, aut citatus,

aut tardus, descriptus est ab Herophilo medicinæ vate, miranda arte, nimiam propter subtilitatem desertus, vt inquit Plinius: qui Erasistratum secutus, propterea dixit ipsas sensu carere, quia etiã sanguine: nisi fortè bonus Plinius dixerit carere sanguine, pro magis exangues esse, quam venas. vel vacare sanguine crasso & impuro, sed tenuem & purum continere, non enim mihi sit credibile, in re apertissima, ita facilè labi. Quinetiam Aristoteles, cuius iudicio multum tribuit antiquitas, secundo de Historijs animalium libro, solum hominem ait in pectore mammas gerere. Attamẽ simiam, & cynocephalum in pectore itidem gestare comperimus. Sed credendum est, tantum philosophum non male sentire, nec de homine solum loqui, sed de reliquis quoque animalibus homini simillimis: cuiusmodi sunt & simiæ, & cynocephalus. Quid quod testatur quoq;, solũ hominem canescere? scribit enim hunc sanè in modum septima Problematum

Plinij locus

Aristotelis locus.

sectio-

ſectione. διὰ τί ἄνθρωπος μόνος τῶν ζώων πολιὰς ἔχει; ἢ ὅτι τὰ μὲν πλεῖστα τῶν ζώων ῥυάδα τὴν τρίχα ἀνὰ πᾶν ἔτος ἔχει, οἷον ἵππος, βοῦς, ἔνια δὲ ῥυάδα μὲν οὐκ ἔχει, βραχύβια δέ εἰσι, καθάπερ πρόβατον, καὶ ἄλλα, οὗ ἡ θρὶξ ὥσπερ ἡ γηράσκουσα, οὐδὲ πολιοῦται. ὁ δὲ ἄνθρωπος, οὐ δὲ ῥυάδα ἔχει τὴν τρίχα, μακρόβιόν τε ἐστιν, ὥστε ὑπὸ τοῦ χρόνου πολιοῦτον. hoc eſt: Quamobrem homo vnus animantium caneſcit? An ideò fit, quia maxima pars animalium caducum pilum quotannis gerit, vt equus & bos: nonnullis decidit quidem, ſed exiguum vitæ curriculum datum eſt, vt oui, & alijs: quorum pilus vt ſenectutem non ſentit, ita nec caneſcit: homo verò deciduum non gerit pilum, longamque viuit vitam, quare temporis progreſſu caneſcit. Atqui non homini tantum, ſed etiam equis caniciem accidere, vſu iam cõprobatum eſt. Quin ſenectutem in equis ex canis ſupercilijs boni veterinarij intelligunt. Quo fit, vt quiſque malignus interpres, & omnia in deteriorem par-

tem rapiens, facilè poſſit calumniari Ariſtotelem. At verò qui ſe æquiorem iudicem præſtare voluerit, is profectò ciuilius aget, & mitius interpretãdo affirmabit in ea ſententia fuiſſe Ariſtotelem, vt crediderit vnum quidem hominem inſigniter caneſcere, & multum; alia verò animalia perobſcurè, & parũ. Quiſpiam tamen dixerit, me nimium benignè agere, ac ſecus interpretari quàm eius verba planè ſonant. Equidẽ auſim cum quouis ſacramento cõtendere, ſi ab inferis in hanc lucem reuocari poſſet, non aliter pronunciaturum Ariſtotelem, quàm ego pronunciaui. Ecquid quæſo dicat quis? pronunciaret nempe id, ꝙ tertio libro de Hiſtorijs animalium ſcriptum reliquit, de pilis ſic mentionem faciens: Μεταβάλλουσι δὲ τὰς χροιὰς γηρασκόντων, καὶ λευκότεραι γίγνονται ἐν ἀνθρώποις. τοῖς δ' ἄλλοις γίγνεται μὲν, οὐκ ἐπιδήλως καὶ σφόδρα, πλὴν ἐν ἵππῳ. id eſt: Mutant colorem pili in ſenecta, & magis cani ſunt, in hominibus: cæteris animantibus id quidem

dem accidit, sed non admodum apertè, præterquàm in equo. Nec, cum dixit homini duntaxat cieri menses, tunc cætera animalia excepit: sed menstruo quoq; spacio, & insignius & copiosius ei profluere, quàm alijs, intellexit. Quicunque igitur optimo animo esse volet in scripta veterum, & non populari trutina examinare, is nimirum desinet, non Aristotelem modò, pariter & Plinium, caluminari ac improbare, sed etiam alios, qui eodem scribendi genere vsi sunt. Tantum igitur abest, vt Plinium in Erasistrateos referendum censeam, vt longè ab eorum dogmate esse asseuerem. Quis est (quæso) tam alienus à Musarum gratijs, qui neget sanguinē, & illum quidem putū purumq;, & proximum, vt inspiritum mutetur, contineri? Quocirca nos suprà appositè diximus, esse conceptaculum & spiritus & sanguinis.

Hoc tamen interest venam inter & arteriam, quòd vt vena plus habet sanguinis, sic arteria plus spiritus coercet *Vena & arteria discrimen.*

ſuo ſinu. Vena præterea omnis vna coaleſcit tunica, arteria autem gemina cõ duplicatur: excepto, quòd illæ variant, quę vltro citroq; è corde in pulmonem commeant. Spiritum altera conuehit, altera ſanguinem: hæc, φλέψ ἀρτηριώδης, id eſt, vena arterioſa nominatur: illa, ἀρτηρία φλεϐώδης, id eſt, arteria venoſa: nempè quòd vena eò loci duplici conſtat tergore, arteria verò ſimplici: nec aliis in locis vſpiam (quod ego ſciam) is ordo inuerti à natura ſolet. Ad hæc omni fibrarum genere venarum tunica præmunitur, vnde alimentum capiunt, & in corpus vniuerſum commodè diſtribuunt. Quomodo enim arborum radices, terræ gremio emollito, & bene ſubacto nixæ, cibum ſumunt primum tepefactum vapore, deinde complexu ſuo diffundunt in ſtipitem, truncum, ramos, ſurculos, folia: ſic propemodum ſanguis, per venas, in omnes corporis parteis enutriendas ductus, influit. Arteriarum verò in exteriore tunicula latæ fibræ ſunt, ſpiritu pel-

pellendo: in interiore & latæ & transuersæ delitescunt. Ambas tamen mutua societate vsq; eò coniunxit natura, vt vbi vena reperitur, arteriam quoque ibi sæpius reperiri necesse sit. Verum ista non reciprocantur, vt si quocunq; in loco arteriam offendas, non etiam sequitur in eodem venam offendi: alicubi enim altera tibi occurret, nusquã verò illic apparebit altera. At si vtramque prodeuntem cernes, erit cur animaduertas, vbiq; locorum fermè arteriam ponè venam residentem. Benefica namq; & solers Natura sem per partes nobiliores in intima abdidit, atque penitus contexit: ob id etiam in partibus extimis, tum brachij, tum cruris, vena sine arteria conspicitur: si quidem locus ille non vsquequaq; tutus, nec arteriis vllo modo commodius & idoneus visus est. Ad palmas etiam, collum, pedes, ponè cutem, venæ reperiuntur, nõ arteriæ. Ea item ratione vbiq; subiecta incedit arteria venæ, & quòd proximo calore arteriæ vena adiuta, sanguinem com-

Arteria sine vena.

Arteria venæ subiecta.

commodius concoquit: & quòd arterias siccæ nimirum naturæ esse oportuit, quare à sanguine eo, qui miri est caloris, spiritusq; adeò feruidi, arteria ipsa vreretur nimis, aut certè coarctaretur præter conuenientem amplitudinem, nisi humore à proxima vena aptissimè demisso humesceret. Vbicunque igitur est arteria, & venam illi insidere necesse est: nisi quem præstat vena humorem, ex alio ille corrogetur membro, in quo genere sunt arteriæ quæ ad cerebrum attinent. At verò sedes, quas arterijs adiudicauerit magistra rerum Natura, intueri licebit ex his quæ deinde dicturi sumus. De illis sanè vena, quam aortam nuncupamus, paulò minutior est sorore (vt iam diximus) parumq; in læuam (quamuis dorsum perpetua validaq; insistat) decliuis, quemadmodum auctior vena in dextram potius prona est. Huius ortus non est ambiguus: nam sine controuersia, de cordis alucolo sinistro, tanquam è principio suo effunditur: quod ex sua colligitur

Arteriarum sedes.

Aortæ venæ ortus.

tur ratione, quæ à veteribus medicis eo redditur modo.

Arteria est vena cor refrigerans, & mundicias faciens tenuioris sanguinis spiritusq;, qui vitam affert, super membra gerula. Quod si ea sit scita conueniensq; ratio, cur non eo exorietur membro, quod sit talis sanguinis spiritusque conceptaculum? tale autem esse constat cor, quod vt egregiè fieri possit, neruosa ea vehementer constitit cute, mēbranaq;. Nam non alio coerceri pacto, præter eam quæ à corde ad pulmonem fertur, potuissent, sanguis adeò attenuatus, spiritusq; ille purissimus. *Arteria quid.*

Sed arteriæ ad eum comparatæ sunt vsum, vt continuè palpitent. Ita enim fit, vt cordis ille præcellens calor ventiletur, recepto intus aere frigidulo, quo continemur, pulsoq; eo qui concaluit nimis: simul vt opaci ineptiq; fumi, qui alioquin in corde vaporantur, compresso corde ipso per arterias extrà cōpellantur. Cum resoluuntur itaq; arteriæ, continentē aerem admittunt mea- *Arteriæ vsus.*

tibus

tibus corporis: mox suis, quos omnino perexiguos habent, spiritum etiam à corde captant vitæ ministrum, quem super membra conferunt: fumis item lutulentis cor subleuant, & expurgant, sanguisque ille absolutissimus de corde in eas proiicitur. Quoties verò eædem comprimuntur, aerem illum feruidum, lutulentumq; fumum, quos iam à corde concæperant, ex se vnà abiiciunt arcentque longius. Spiritum verò illum nitidum, vitæ datorem, qui hac compressione non exhalat, imò retinet facultas venarum discernēs, inq; membra quantum quotiesque opus sit per cauum ductum, foraminulaq; illarum oblonga perducit. Sed hæc in vniuersum præfati, singula percurramus. Aorta è læuo cordis sinu producitur in supera, inferaque cum cor exiuit, ab ea ramus in pulmonem fertur, vt exprimere nubilum illum fumum, aeremq; copiosum sufficiat ministrare: quorum causa maxima inuenta est, quæ præstare magnificè possit, eius tunicæ simplicitas

Aorta origo & ratio.

citas, molliticsq; quæ continuò assequitur. Rursus è corde protumpit ahorta, in duas eadẽs propagines dispares: amplior, cordis repetens ambitũ, illius in partes conuertitur: gracilior, in dextrũ recidit sinum. Quod post hos restat ramos, bipartitò rursus diuiditur: cuius pars procerior descendit spiritu plena, vt inferis membris, quæ grandiora pleraq; resident, spiritu adhuc repleat copiosiori: quæ recta dorsum permeans, contra quintam vertebram recedit. vbi pulmo cordi substernitur. Hoc loco gula arteriæ cedit, in dextram potius pendens: ahorta autem vna, validaque in nouissimam vsq; vertebram pergit. Ab hac in singulas vertebras, quas transit, rami pullulant, qui in spinam, singulasque sparguntur costas: cumque intra pectus sit, venulam à se, ad partem eam qua appenditur pulmo, arteriamq; asperam emittit. At vbi fines pectoris deserit, bipartitò secatur: cuius vterque ramus cinctum transuersum subit. Postea in alios exit ramulos, qui stomacho, iecinori,

cinori lieni, inteſtiniſq; minutioribus, ipſiq; illi inteſtino camerulẽto adhereſcunt. In veſicam abeunt mox, qui ab iecinore pertinent. Deinde tripartitò diuiditur: cuius qui minimus eſt ramus, his quæ adiacent reni ſiniſtro, ſeſe applicat: reliqui duo, qui ſunt grandiuſculi, duos petũt renes: qui in eo proſunt, quod lymphatum ſanguinem, inutilemq; ſugunt, quem alioquin membra reſpuerent. Dehinc duæ ad vtrumque teſtem ceſſant arteriæ, quæ quidem ad læuum ſpectat, è læuo rene ortũ refert: quæ verò ad dextrum, plurimum ex auctiore arteria demittitur. Rurſus ahorta paulò longius diducta, duos ſuſpendit ramulos, qui ſocietatem ineũt cum venulis inteſtini recti, quod nouiſſimũ eſt omnium. Demum ad imam producta vertebram, iuxta venam auctiorem in duas egreditur partes: quarum vna dextra ſit, ſiniſtra altera, ſingulæ priuſquam ad coxas perducantur, à vena ea diſcedunt, quæ veſicam ingreditur: in abdomine tamen conueniunt, in nondum

dum editis conſpicuæ: in adultis extrema ſicceſcunt, necdum apparent, radices conſtant. Sed duæ illæ partes cum ad coxas venerint, in ramos duos abeũt perinſignis magnitudinis. Alter ad familiare fœmoris latus attinet, ad ſyluestre alter: qui accliuis, in familiare latus lacertos qui proximi ſunt, per ramuſculos init, indeq; procedens interiora verſus, denique pollicem inter & indicem ſiſtitur, circumſtanteſq; partes ingreditur plurimas. Quæ verò ab ortæ pars ſupera peteſſit: bipartitò ruſſus finditur: cuius quæ anguſtior pars eſt, per alas flexumq; brachij in manus deuehitur: quæ grandior eſt, in caput ſcandẽs, cum venit ad carnem laxam quæ moro aſſimilatur, treis ab ſe producit ramos: quorum duo ij ſunt, quos Græci καρώτιδας nominant, nos arterias ſomniferas appellamus: tertius qui ſupereſt ramus thorace altioribus coſtis, ſex vertebris colli, partibuſque vicinis confunditur, in manusq; tandem abit. Quæ ſomniferæ ſunt, ſingulæ in duos coarctantur ramos, χαρῶτιδες.

ramos, ſimulatq; collum ſubierint: è quibus eſt qui anteuerſus vergit, quiq; retrouerſus. Qui anterior eſt, rurſus in manifeſtum, occultũq;, ramulos, perſtringitur. Manifeſtus, regionem auriũ, lacertos temporum, capitis verticem pulſat. Occultus autem, porrectis ex ſe prius ad linguam, laryngemq; & fauces ramuſculis, excurrit eò vbi plexus illi mirabiliter attexti conſpiciuntur: quorum alter à ſecundis vteri, χοροειδὴς dicitur: alter autem, in quo ſpiritus vitalis in animalem vertitur, à multiplicibus retis nodis nomen habet.

CAPVT IV.

De corde, eiusq; ratione, præſtantia, ſede, magnitudine & paruitate, figura, motu, & ventriculis.

CVm hactenus de neruis & arteriis dixerimus proximũ nunc eſt, vt ad exta tranſeamus, de quibus nos antea dicturos polliciti ſumus, ne præcipuas humani corporis partes præteriiſſe temere

mere videamur. Itaq; à nobilissimo omnium viscere, quod nominant Cor, exordiamur: in corpore enim solis instar est. Propterea homo, & cætera animalia, à philosophis μικρὸς κόσμος, id est paruus mundus dicuntur: nec iniuria, meo quidem iudicio, tantum etenim curæ & operæ in animali formando, fingendoue Natura ac Deus posuerunt, quantum in fabricando mundo. Vt cęlestia corpora ex se, libereq; versantur: sic animalia cũcta suapte natura, quod maximè expetunt, voluntq; id sequuntur. Hoc tamen interest inter bruta & hominem, quod illa naturæ instinctu duntaxat aguntur, vt hirundines, & apes: nam in conficiendis nidulis, & fauis fingendis, cum vnum atq; eundem agendi modum teneãt, nulla arte vtuntur. Homo verò quicquid agit, consilio rationeq; & miro artificio agere creditur. Iure igitur intelligẽs, sapiensq; Natura, bestias rationis expertes, alias armauit dẽtibus: alias cornibus, alias vnguibus, alias calcibus, veneno alias,

Cordis ratio.

μικρὸς κόσμος.

Homo quid à brutis differat.

alias rostro: vni ex animantibus homini, dedit artem parandi sibi arma, administrandiq; necessaria vsui, atq; ad vitam tuendam pertinentia. Excogitauit enim homo rationem excidendi lapides è terra, effodiendi ferrum, aurum, æs, argentum, penitus abdita metalla, tecta ædificauit, quibus vim frigoris pelleret, & calorum molestiam leuaret: eademq́, aut colluuione aquarum, aut terræmotu, aut vetustate collapsa, instaurandi miro ingenio vtitur. Ac vero, vt mittam nauigationem, colendorum agrorum industriam, frugum fructuumq; percipiẽdorum & conseruandorum diligentiam, fontes ductos, deriuata flumina, aggeres fluctibus oppositos, portus manu fictos, multaq; alia, quæ ex rebus inanimatis commoda percipit: varios etiam fructus ex animatis capiendos adinuenit. Equos in suum vsum domuit, atque eos docuit gyrum capere, pedes componere, alterna crurum volumina sinuare, duris frenis pro loci & temporis commoditate

Equorum vsus.

parêre.

parêre. Boues iam collis seruitio assuetis, ad studium agreste formauit, terramq; horrentem sentibus excoluit, & aratro proscidit, & benè subegit: vnde tempestiuos fructus percipimus. Animalia ea quæ nocent, interficit; & quæ vsui possunt esse, capit. Quid tibi commemorem cōditas vrbes, leges, mores, instituta, & innumerabiles penè artes, ac scientias solius hominis ingenio inuentas, & cultas? ex quo videtur opifex, ædificatorq; mundi Deus, cuncta ad vsum hominis procreasse, atq; eius rationis imperio subiecisse. Quocirca cum in nobis nihil sit vtilius, nihil excellentius, nihil diuinius ratione, Natura sui conseruatrix, sedem nobiliorem, præstantioremq;, & commodiorē nullam, quàm cor ipsum, ei adiudicare potuit: quippe quod in hoc exiguo mundo perinde situm sit, atque sol, qui in medio cœli ambitu cæteris obscuratis astris solus apparet. Sanè cor medium pectoris tenet, superna magis (si cum cæteris partibus comparetur) quàm

Boum vsus

Hominis ad vsum cuncta creata.

Rationis sedes cor.

inferna ſpectans, & in aduerſa potius quàm auerſa incumbens, atque mucrone ſuo duntaxat ſiniſteriorē mammam petens, vt frigus eius temperet. Læua enim pars animalis frigidior, quā dextra, ſemper eſt, ſi quidem dextra iecur, quod aſſiduè calet, perpetuò aſſidet. Ecquis tutior locus excogitari potuit? aut commodior ad mutuandum aerem, & æquabiliter exhauriendum è pulmone? Ecquis præterea nobilior ſitus in vniuerſo animante eſſet inuentus ab ipſa Natura? quæ nobiliſſimis viſceribus, præcipuas ſedes præbere conſueuit: niſi quid offecerit, præpediatque.

Cordis præſtantia.

Cor autē eſſe nobiliſſimum ac præſtantiſſimum omnium corporis humani partium, nobiliſſimi, longeq; principes philoſophi teſtantur: ij ipſi triſtitiæ ac læticiæ ſedem, caloris fontem, omnis motus, ſenſusq; omnis, & vitæ authorem eſſe iudicarunt. Animæ itidem domicilium crediderunt: vt Empedocles, Ariſtoteles, Diogenes, Pythagorei,

goreiStoici,&plerique non multo post istos veteres alii philosophi: quorum vnus præcipuè extit Alexander ille Aphrodiseus, qui in suis Commentariolis de Anima, modò editis, prò cordis primatu maximè, si quisquam alius, disputat. Nihil me hic tamen mouebunt Democritus, Platoq;, & ex medicis Hippocrates, Erasistratus Herophilus, Galenus, qui primas cerebro dederũt animamq; in eo collocarunt. Nec Parmenides, cum Epicuro, mihi persuadebunt, vt in toto pectore sitam esse putem: neque vnus Xenocrates, qui existimauit per totum corpus diffusam animam excurrere, mihi probabitur: neq; veteres ipsos rectè sentire iudicabo, qui sedem illi in oculis dederunt. At multo magis irridendam censebo Herodoti popularem illã opinionem in Polymnia, quæ profitetur, in auribus hominum animam commorari. Quid itaq; isti commenti sint, intelligo: sed probabilem ac veram rationem attulisse opinor nullam, quemadmodum in no-

De Animæ sede veterum sententia.

inferna ſpectans, & in aduerſa potius quàm auerſa incumbens, atque mucrone ſuo duntaxat ſiniſteriorē mammam petens, vt frigus eius temperet. Læua enim pars animalis frigidior, quā dextra, ſemper eſt, ſi quidem dextra iecur, quod aſſiduè calet, perpetuò aſſidet. Ecquis tutior locus excogitari potuit? aut commodior ad mutuandum aerem, & æquabiliter exhauriendum è pulmone? Ecquis præterea nobilior ſitus in vniuerſo animante eſſet inuentus ab ipſa Natura? quæ nobiliſſimis viſceribus, præcipuas ſedes præbere conſueuit: niſi quid offecerit, præpediatque.

Cordis præſtantia.

Cor autē eſſe nobiliſſimum ac præſtantiſſimum omnium corporis humani partium, nobiliſſimi, longeq; principes philoſophi teſtantur: ij ipſi triſtiſtitiæ ac læticiæ ſedem, caloris fontem, omnis motus, ſenſusq; omnis, & vitæ authorem eſſe iudicarunt. Animæ itidem domicilium crediderunt: vt Empedocles, Ariſtoteles, Diogenes, Pythagorei,

goreiStoici,&plerique non multo post istos veteres alii philosophi: quorum vnus præcipuè extit Alexander ille Aphrodiseus, qui in suis Commentariolis de Anima, modò editis, pro cordis primatu maximè, si quisquam alius, disputat. Nihil me hic tamen mouebunt Democritus, Platoq;,& ex medicis Hippocrates, Erasistratus, Herophilus, Galenus, qui primas cerebro dederũt, animamq; in eo collocarunt. Nec Parmenides, cum Epicuro, mihi persuadebunt, vt in toto pectore sitam esse putem: neque vnus Xenocrates, qui existimauit per totum corpus diffusam animam excurrere, mihi probabitur: neq; veteres ipsos rectè sentire iudicabo, qui sedem illi in oculis dederunt. At multo magis irridendam censebo Herodoti popularem illã opinionem in Polymnia, quæ profitetur, in auribus hominum animam commorari. Quid itaq; isti commenti sint, intelligo: sed probabilem ac veram rationem attulisse opinor nullam, quemadmodum in no-

De Animæ sede veterum sententia.

Baßiani de philosophia cõmentarij

ſtris de Philoſophia cõmentarijs abundè fuit oſtenſum. Vnde quæſo credis emanaſſe illas dicendi formulas, à veteribus ſcriptoribus crebrò vſurpatas, ex corde amare, corde trepidare, ſapere cor? non aliunde profectò, quàm quod amoris, ſapientiæ, metus, eſſe locũ cor putabant. Cur excordes, vecordes, concordes dixerunt? nempè quia illic & animum, & eius motiones omnes reſidere arbitrabantur. Cur P. Scipionem, Naſicam primum, à maioribus naribus appellarunt Romani, deinde Corculum nominarunt? ſanè non aliam ob cauſam, quàm ob morum temperantiam, quam cordi ferebant acceptum. Quid quod Homerus tam ſæpè dixit, περὶ κηρὶ χολῶσθαι, θυμὸν δήκειν, θυμὸν καθέδειν, ἔνδοθι θυμὸν ἀμύξειν ἀναστοναχίζειν νειόθεν ἐκ καρδίας; Quid quod ſapientiſſimus Pythagoras vetat, ἐσθίειν τὴν καρδίαν; Quid Theognides, qui imitatus Homerum, dixit quoq; ψυχὴν δάκνεσθαι, καὶ δίχα θυμὸν ἔχειν, hoc eſt, διαύδιχα μερμερίζειν; Certè quidem non propter aliud, quàm

A corde, dicendi formula.

quàm quod rebantur in cordis sinu foueri iram, indignationem, geminus animi consilia, cogitationes, omnes denique (vt iam diximus) mentis commotiones: ꝙ etiam trita, & cuiuis de populo nota philosophorum fermè omnium planissimè indicat definitio illa, θυμὸς ἐστὶ ζέσις τοῦ περὶ τὴν καρδίαν αἵματος, δι᾽ ὄρεξιν ἀντιλυπήσεως κινούμενος. id est. Ira est feruor sanguinis in corde, quæ tum percietur, cum vindicta expetitur. Cum igitur animę vires ac motus omnes è corde prodeant, veri nimirũ est simillimum, eam quoq; in ipso considere. Huc (rationi quod est consentaneum) facit, vt qui sunt ab Aristotele tradant, in vtero nascentibus primum cor formari, deinde cerebrum, tardissimè oculos: sed hos primũ mori, cor nouissime: nam cæteris corruptis, vita in corde durat. Quare mirandum non est, si poëta Homerus mortis sedem in oculis, toties id hemistichium repetens, τὸν δὲ σκότος ὄσσ᾽ ἐκάλυψε, esse finxit. Principiò enim lumina offun-

Cor primũ in vtero nasci.

Homeri locus.

duntur tenebris, & in illis certa futuræ mortis ſigna cognoſcũtur. Porrò ſemen maris incidens in concipientem comprehendentémque naturam vteri: ſoluitur in ſpiritum: qui ſimul ac inſinuauit ſeſe, & penitus immerſit in menſtruum humorem, continuò domicilium quodammodo ſtruit, idq; cor eſt: quo ſenſus vnà cum anima excipitur, cuſtoditurq; tantiſper, quoad breui hac lucis vſura nobis frui licet, mox reliquorum conſurgit generatio. Exanguia animalia cor non habent, ſed quaſi cor. Verum animal ſine ipſo poſſe viuere, tam mihi fit veriſimile, quàm vitam poſſe conſiſtere ſine anima & ſpiritu. Quocirca aruſpicum Romanorum religionem illam quis non irriſerit? quæ L. Poſthumio Albino rege ſacrorum, poſt centeſimã viceſimamtertiam olympiadem, cum rex Pyrrhus poſt tot clades ex Italia pulſus eſt, eorũ animos inuaſit, vt exta quàm diligentiſſimè conſulerentur victimarum, ijs etiam palpitantibus, ſpiritantibuſq; defuiſſe

Cordis abſentia in victimis.

fuiſſe

fuisse cor aruspices sæpè monebant, & quid inde iudicarent portendi exponebant. Nam Cæsari Dictatori, quo die primum veste purpurea processit, atq; in aurea sella sedit, immolanti bis, nusquam repertum cor esse proditur: quasi portentum, prodigiumq; esset fatale, eius miserandę necis Idem de Pertinace commemoratur, vt qua die morte sublatus est, sacrificanti non cor tantūmodo victimæ, sed iecur quoq; defuerit. Equidem tantum abest, vt id commentum traditum historijs credam, vt vel leuissime cor affici non posse existimem. Quin inter viscera omnia læsum hoc mortem derepente affert. Nec iniuria quidem: nam ꝙ principium est, ipsum citra noxam seruari debet: ne illo male affecto, cætera itidem afficiantur, & corruant. Humanum cor pro corporis mole, quam regit, oppidò quàm magnum est. Nam homo omnium animantium calidissimus est: at pro sanguinis spiritúsque copia, mediocre iudicari poterit. Quibus autem cor

Cordis magnitudo, aut paruitas.

est

eſt paruū, ea animalia audacia eſſe creduntur: timida verò, quibus prægrande, vt leporib⁹. Sed quid ita? dicat, quiſpiam: nempe quod affectus, quem producit metus, eſt in ipſis. Calorem enim pro cordis portione nō habent: verum calor exiguus in magno exoleſcit conceptaculo: proinde ſanguis frigidior item comperitur: vt ſanè vno atq; eodem igne cubiculum grande & anguſtum non æquè calent, ita exiguum calorem nec item ſentiet cor quodq; vaſtæ, quodq; modicæ eſt magnitudinis. Maximum autem eſt pro grāditate corporis muribus, aſino, ceruo, pantheræ, muſtelis, hyenis, & omnibus pauidis, aut propter metum maleficis. At bina corda perdicibus in Paphlagonia eſſe, propter miram magnitudinem duntaxat, tradi à Plinio, & reliquis ſcriptoribus exiſtimo.

Cordis figura. Porrò cordis moles in turbinatam & pyramidatam figuram ſenſim exit, cuius baſis eſt ampla lataque, mucro autem peranguſtus: non eò quidem, vt multi

multi falsò crediderunt, quòd ignis modo calescit, qui sua vi, dum sursum nititur, pyramidis formam effingit: atqui iecur calidum est, huiuscemodi tamen figuram non imitatur. Aliam igitur causam, quàm isti reddunt, de sententia Galeni referri posse certò scio. Primùm, si in eandē amplitudinē vertex excresceret, inq̃ basis solet excrescere, lōgè maius ac vastius euasisset, quàm corpori cōuenit, ob idq; animal fuisset formidilosissimū. Deinde instar pyramidis natura formauit, quo min' per os pectoris ꝙ contingit, ei noceatur, propterea etiā summū cacumen duriuscūlum effecit. Cordis autem figuram vsq; eò placuisse Romanis animaduerto, vt ex auro bullam, cum sanè in modum conflandam curauerint, quam ingenuis pueris in pectore de more suspendebant, vt eam respectantes identidem, ita demum se homines cogitarent, si corde præstarent. Ac verò hirtum cor habuisse Hermogenē, quod ferè idem de Leonida scribit Plutarchus, idemq; de Ly-

Bulla.

Cor hirsutum.

de Lyſandro, & Alexandri cane legitur, naturæ (credo) interpretes riſu hoc excipient, & tanquã ſabuloſum, ac commentum egregium reijcient. Eapropter Homerus, de quo diſciplinæ omnes ortũ habuiſſe mihi vidẽtur, ſicut ex magno Oceano (vt ille inquit) ποταμοὶ πάντες· καὶ πᾶσα θάλασσα, καὶ πᾶσαι κρῆναι, καὶ φρείατα μακρὰ νάουσι, appellat κῆρ λάσιον, non hiſpidum, & pilis denſum, vt multi temerè opinantur: ſed prudens, vt ego interpretor, Euſtachij ſententiam ſecutus: is nimirum ait, λάσιον á poëta dici τὸ κῦρ, ἐξοῦ τὰ πεδινὰ βλαστάνει βουλεύματα. Cõſueuit etenim Homer⁹ q̃ ſæpiſſime permutatione vti, hoc eſt exornatione ea, quę aliud verbis, aliud ſententia demõſtrat. Hinc vulgo receptã opinionem in quorundam mentem irrepſiſſe arbitror, qui ſibi perſuaſerunt, eos animoſos eſſe, & plenos fortioris induſtriæ, quibus cor hirſutum eſt, cuiuſmodi habuiſſe commemorant Valerius Maximus lib. primo, & Plinius ſenior vndecimo Naturalis

Homeri locus.

ralis historiæ, Aristomenē Messenium, qui tercentum occidit Lacedæmonios: qui vulneratus & captus semel, per cauernam Latomiarum euasit, angustos vulpium aditus secutus: qui iterum captus, sopitis custodibus somno, ad ignem aduolutus, lora cum corpore exussit: cui tertiò capto Lacedæmonij pectus dissecuere, intuendi causa, & pilis refertum cor repertum esse aiunt: quod tamen mihi nullo modo fit probabile. Etsi Plato dixit, τὰς ἀνδραπώδεις ὑπὸ καὶ ψυχῆς τρίχας, id est, animi seruiles pilos, nihil magis commoueor: siquidem scomma est in fatuos, & penitus rudes. Ea est porro substantia & natura cordis, vt nusquam setis horrere possit: solidiuscula tamen, & plusculo durior fuit, ne noxam facile concipiat, néue vt spiritus & calor vitalis omnino exspirent, nulla coerciti soliditate, sed quasi per spiramenta tenũia molliáque difflentur. Cor durum & spissum qui habent, ij stupent, & hebeti sunt sensu: qui verò molle, ingenio pollent. Motus

Aristomenes Messenius.

Platonis locus.

Cor durũ, molle.

tus eius assiduus est, palpitat, & mouetur, quasi alterum animal. Quare antiquitus aruspices, si cor silens, & minimè palpitans inspexissent in victimis, calamitates portendi diras, & fortunæ minas prædicere consueuerunt: quasi palpitatio, & continua agitatio illi esset maximè peculiaris, & à natura insita. Quod etiam nomen Græcum indicat.

καρδία dicitur namq; καρδία παρὰ τὸ κραδαίνω, τὸ σείω, ἀεικίνητος γὰρ ἡ καρδία. Nam motum suum fibris moderatur, ac regit: latis quidem in se subsidet, propellítque

Cordis motus. aërem: longis verò, & illis sanè adductis dilatatur, & aërem pariter accipit. Itaque taurini follis modo attollitur, vicissimq; desidet. Et verò potius dissilient proxima vasa, quàm destituatur proprio motu. Eapropter consultrix & prouida Natura, cũ foret necessarium in hac perenni motione cordis, hauriri corripiq; quicquid obijcitur, duas auriculas appinxit, quæ dextra sinistráque extant. Non eò, vt quidam mali medici scribunt, quòd interdum sanguis & spiritus

titus ita redundant, vt ne vis cordis vitalis obruatur, necessariò eorũ reiectus sequatur: sed longè aliud naturę consilium fuisse putandũ est. Prouidit enim, ne aut vena dirumpatur, quæ cõmittitur cũ iecinore: aut arteria, quæ ad pulmonem fertur. Magna sanè cordi potestas attrahendi ingenerata est, tum caloris beneficio, qui ad se rapit obiectã materiam non minus, quám flãma oleum: tum inanitatis formidine, tum eius vis meritò, quæ penitus abditur, clámque nobis omnibus est. Si igitur maiores, quàm solet, adhiberet conatus ad materiam trahẽdam (quod quidem tum fieri posset, cùm tantum sanguinis aut aëris non suggeritur, quantum sufficit alimento & refrigerationi) vasa profectò in maximum periculum adducerentur, & extremum penè discrimen. Quod ne fieret, quàm diligẽtissimè vtriusque auriculis cauit natura: quarum altera, si casus tulisset, alimentum: altera, spiritum statim cordi suppeditaret. Idẽ etiam sensisse Galenum

 video,

video,libro sexto de Vsupartium:cuius verba præstat subscribere, vt multorum Medicorum ptodatur magis atq; magis stulta temeritas αὐτὴ δὴ (inquit) καρδία πάσας, ὅσας ἂν τις ἐπινοήσῃ δυνάμεις ὁλκῶν ἔχουσα διὰ ταχίων ὑποδέχεται κόλποις τῶν κοιλιῶν ἀναρπάζουσα, καὶ οἷον ἐκροφοῦσα τὰς εἰσρεούσας ὕλας. εἴτε γὰρ ὡς τῶν χαλκέων φῦσαι διαστελλόμεναι, σπῶσιν εἴσω τὸν ἀέρα, παντὸς μᾶλλον ὑπάρχει τοῦτ' αὐτῇ, εἴτ' ὡς αἱ τῶν λύχνων φλόγες ἕλκουσι τοὔλαιον, οὐδὲ ταύτης ἀπορεῖ τῆς δυνάμεως, ἀρχὴ τῆς ἐμφύτου θερμασίας ὑπάρχουσα, εἴθ' ὡς ἡ ἡράκλεια λίθος ποιότητος οἰκειότητι τὸν σίδηρον ἐπάγεται, τί μὲν οἰκειότερον αὐτῇ πνεύματος εἰς ἀνάψυξιν, τί δ' αἵματος χρηστότητι εἰς θρέψιν, ἐμοὶ μὲν δοκεῖ, κἂν διασπάσαι τι τῶν ἀγγείων, ἁπάσαις ἅμα χρωμένη διὰ ὅλης ταῖς δυνάμεσιν, εἰ μή τι καὶ ταῦθα θαυμαστὸν ἐπικούρημα τοῦ μηδὲν γενέσθαι τοιοῦτον ὁ δημιουργὸς ἡμῶν ἐτεχνήσατο, προθεὶς ἔξωθεν ἑκατέρου τῶν εἰσαγόντων στομάτων τὰς ὕλας, ἰδίαν κολότητα, καθάπερ τι ταμεῖον τροφῆς, ὡς μὴ κινδυνεύσῃ ποτὲ ῥαγῆναι τὸ ἀγγεῖον, ἑλκού-

σης

της μὲν ἀθρόως τε καὶ σφοδρῶς ἐνιέντι τῆς καρδίας, αὐτὸ δ᾽ οὐκ ἔχων ὑπὸ στενότητος ὅσον αἰτεῖ παρασχεῖν ἀφθόνως.

Nosti cætera: quæ non tantum sententiam nostram confirmant, sed etiam cuique quantumuis somniculoso fidem faciunt, nihil sine magno consilio, ac vsu necessario, in opificio naturæ factum inueniri posse. Quocirca præterquam quod auriculas eum ad finem, quem diximus, cõformauit: addidit quoq; membranas ad fauces patentes in cor. Galenus cartilagines σιγμοειδεῖς appellare consueuit, hoc est sigma literæ similes, quã librarij Græci hunc in modum C calamo olim pingebant, nostrum C grandiusculum planè referentem. Eæ itaq; valuarum & ostiolorum instar conflatę sunt, atq; p tempore clauduntur, vicissimq; recluduntur, ne materia quæ intro lapsa est, foras regredi possit: aut quæ iam exijt, neque redire queat, occlusis valuis. Ostiola autem arteriæ venosæ duo duntaxat sunt, & illa quidem haud omnino

Arteriæ venosæ ostiola.

inter sese comittuntur, quia per eorum rimulas fuliginosi spiritus, ac penitus inutiles de corde exhalant. Aliarũ partium reliqua exquisitissimè cõponuntur, & mutuò concluduntur, vt qui viderit, is vnam atq; eandem compagem esse dijudicet.

Cordis ventriculi. Cor duos quasi ventriculos habet: dexter plurimum habet sanguinis, sinister spiritus conuehit. Iulius Pollux κόλπους, id est sinus, & κοιλίας, id est ventres nũcupat: Plinius verò, specus. Verum qui in sinistra est, solidior, durioq; sensu percipitur, vt qui spiritus multum flabilis & fugacis est conceptaculum. Hic mediusfidius nullò modo illi sunt audiendi, qui dicunt ideo esse duriorem, qui calidior est: nam ossa dura, beneq; compacta sunt, attamen sunt frigida. Dexter verò sinus tenuior, & plusculò capacior cernitur, vnde sanguinis profunditur riuus. Alter vnius meatus interiectu distinguitur ab altero. Plini9 tres sinus in magnis animalibus, in paruis vnum, in ijs verò qui sunt medio-

mediocris magnitudinis duos inesse credidit. Sed multò ante ipsum in eadē hæresi fuit Aristoteles, qui tertio de Partib⁹ animalium libro sic scribit. κοιλίας δ' ἔχουσιν αἱ μὲν τῶν μεγάλων ζώων τρεῖς, αἱ δὲ τῶν ἐλασσόνων δύο μίαν δὲ πᾶσαι. id est: Cor animalium magnorum sinuosum specum intra se gerit triplicem, minorum verè geminum, cæterorum vnicū. Aristoteli grande spacium dextri sinus, egregiè imposuit: is enim existimauit, quæ pars est, tertium esse omnino sinum: quemadmodum Galenus optimam conicčturam de illo faciens, in cōmentariolo de Venarum pariter & arteriarum dissectione inquit, καὶ μήν τοι καὶ δι' αὐτὸ τὸ διὰ καρδίας σῶμα περιερχομένας ἐν κύκλῳ δύο ἀρτηρίας ἔχει, τὴν μὲν ἑτέραν τὴν μείζω τὸ πλεῖστον αὐτῆς διαπλέκουσαν, τὴν δὲ ἑτέραν εἰς ἐκεῖνα μάλιστα διανεμομένην, ἔνθα τὴν τρίτην ἐνόμιζεν εἶναι κοιλίαν ὁ Ἀριστοτέλης. αὕτη δὲ ἐστὶν ἡ κατὰ τὸ πλατὺ διὰ καρδίας, μόριον οὖσα δεξιᾶς, οὐκ ἄλλη τις τρίτη. id est: Atqui ob cordis corpus ambientes circumcir-

Aristotelis locus.

ca duas arterias habet: alteram quidem maiorem, quæ plurimam eius partem amplectitur: alteram verò, in illa regione maximè distributam, vbi tertium existimauit esse ventriculum Aristoteles. Sed est pars latiuscula dextri ventriculi cordis, non quispiam alius tertius ventriculus. Acutè sanè locum coniecit Galenus, in quo falsus est Aristoteles. In omni etenim animante, tam parua quàm magna, dum respiret modò, duo sinus cordis comperiuntur, quos excellens Natura fingendo, non attendit ad vastam corporis magnitudinem, sed ad multiplices functiones. Quare nullum animal, cui respirandi facultas deest, ideoque pulmo, dextrum habet sinum. At sinistrum duntaxat ei datum esse, testis est locupletissimus Galenus, αἱ δὲ (inquiens) διὰ καρδίας κοιλίαι δύο μὲν οἷς πνεύμων ἐστὶ, μία δὲ οἷς οὐκ ἐστὶ. Et alio in loco latius, πλῆθος μὲν δὴ τῶν κοιλιῶν διὰ καρδίας (ἐντεῦθεν γὰρ ἄρξασθαι δίκαιον) οὐχ ἴσον ἐν ἅπασι τοῖς ζώοις ἐστὶν, ἀλλ᾽ ὅσα

μὲν

μὲν ἐξ ἀέρος εἰσπνεῖ διὰ φάρυγγος, καὶ ῥινῶν, καὶ στόματος, εὐθὺς μὲν καὶ πνεύμων τούτοις ἐστὶν, εὐθὺς δὲ καὶ διὰ καρδίας ἡ δεξιά κοιλία. τοῖς δ' ἄλλοις ἅπασιν οὔτε πνεύμων ἐστὶν, οὔτ' ἐν τοῖς δεξιοῖς διὰ καρδίας εὐρύτης οὐδεμία. συναπόλλυται γὰρ ἀεὶ τῷ πνεύμονι δύο ταῦτ' ἐξ ἀνάγκης, ἥτε φωνὴ τοῦ ζώου, καὶ ἡ δεξιὰ καρδίας κοιλία, κἂν τῷ δῆλον εἰς ὅτι ἑκάτερον αὐτῶν ἥκει χρείας. ἡ μὲν γὰρ δεξιὰ κοιλία τοῦ πνεύμονος ἕνεκα γέγονεν, ὁ δὲ πνεύμων αὐτὸς ἀναπνοῆς τε καὶ φωνῆς ἐστιν ὄργανον.

Hæc ille : Latina pleraque non facimus, quæ græcè vel mediocriter doctis inteligi posse arbitramur. Imum *Cordis imum.* cordis pinguedo circumstat, ne continuo motu agitatum incalesat, atque areat. Præclarè ergò tunc agi secum Natura voluit, cum sanguis ad eam regionem, vbi est inuolucrum cordis, diffluens, occursat illi membranæ, quæ frigidula est:eam simul ac frigentem sentit, commodùm in pinguitudinem concrescit. Quodautem in summo cordis enatam interdum,

prisci illi Romani sacrificantes se deprehendisse narrent, non aduersantur Medicorũ placitis, nec digni sunt nunc cum sua religione odio.

CAPVT V.

De Pulmone, eiusq; fibris & motu.

πνεύμων. περιπνευμονία.

Pulmonarij.

SVB corde pulmo iacet, spongiosius, ideoque spiritus capax, & à tergo ipsi spinæ iunctus: πνεύμων græcè, ab vsu spirandi dictus est. Vnde περιπνευμονία, pulmonis inflammatio nominatur: & qui ita sunt affecti, πνευμονικοὶ nuncupantur: Hos Moderatus Columella pulmonarios vocat. In pulmone enim inest raritas quædam, & assimilis spongiæ mollitudo, ad attrahendum vicissimque reddendam animam aptissima. Quocirca boni latini, spirandi officinam appellare consueuerũt. Qui sanguinis ipsum expertem aiunt, quia rarum esse contuentur, mihi certè falli videntur: cõtinetur enim

sanguis

ſanguis tum venis per eum diſcurrentibus, tum in molliſſimis finibus ſubſtantiæ adhæreſcentibus ſtagnat. Qui de venis ſtillat, fluitantem ſpumam habet, ex ſubſtantia ſcaturit omnino ſpumoſus, quoniã eſt magis pulmoni alendo, quippe qui aereum humorem, & bilioſum ſanguinem depaſcatur plurimum. Animalia autem quibus pulmo ſanguineus eſt (inquit Ariſtoteles) intus calore æſtuante, ſunt aliorum omnium maximè ſitibunda: quibus verò non item, ſed fungoſus, illa parum bibunt. Piſcibus nullus ineſt, ſi quidem nullum animal pulmonẽ ſimul & branchias habere potuit: cæteroquin naturam maximæ temeritatis & imprudentiæ accuſaremus, quam quidem ſcimus in opere faciundo eſſe diligentiſſimam ſuperuacanea, aut vſum non habentia negligentem, neceſſarij nihil quicquã penitus omittentem. Ne igitur inſimulari ea ab aliquo Momo poſſet, nullam etiam partem inanem, & ſine cauſa in piſcibus reliquit: quibus, branchiis

Pulmo an ſanguinis expers.

Piſces pulmone carere.

iam datis, pulmonem negauit, qui ſanè eundem vſum aliis animalibus affert, quem piſcibus branchiæ afferre ſolent. Pauca enim habent aquatilia, ac cętera oua parientia exiguum, ſpumoſumq;, minimè ſanguineum. Iccircò ea eſt cauſa, cur ſub aqua diu ranæ & phocæ vrinantur. Teſtudo quoque, quamuis prægrandem, & ſub toto tegumento gerat, ſine ſanguine tamen habet. At eius moles, quo minor corporibus eſt, eo maiorem leuitatem ac velocitatem addit. Chameleoni portione maximus, & intus aliud nihil. Homini in quinque fibras diuiditur: ex his quatuor vngulæ bubulæ modo diductæ, moto pectore itidem commouentur. reliqua venæ auctiori, quæ ſurſum fertur, culcitrulæ inſtar, venulis diſtincta ſuis, ſubſternitur: nam ex his membris eſt, quæ bipartita ſunt, quamuis vnius ſpeciem præſeferant. Verum in ijs quæ animal generant, diſtinctio non æquè apparet: minus multo in homine, in quo ſimplicior, nec ita multifidus conſpici-

Pulmonis fibræ.

ſpicitur, vt in nonnullis animalibus, quæ animal item procreāt. Eam planè diuiſionem à Natura ſagaci inde factam cenſeo, vt ſi in parte vna ſeſe oſtentarit affectio, citra tamen noxam altera corpus anhelitu recreet ac foueat. Ea etiā re conduplicantur aures, oculi, nares. Adde etiā, quòd pulmo in multas partes diſtributus, & commodius cor amplectitur, & tutius mouetur, quàm continuus. Quo fit, vt in eam mentem impellar, vt Platonem & Ariſtotelem, ex latinis Plautum Ciceronemque dicere interdum pulmones, multitudinis numero, maluiſſe credam, huiuſce viſceris figuram pulchrè callentes. Nec idipſum rudis illa antiquitas ignorauit, quæ pulmonem inciſum, & fibris geminatum, tempus dirimere, ac diē differre credidit: ſimplicē verò, & ferè vniuſmodi, continuare temporum curricula, nullasq; cunctationes & moras afferre. Credibile enim fit, victimis, quas diis variè litabant, aliquando pulmones variare. Si autem eorum fibra aliqua in

Pulmones.

qua in conſpectum perobſcurè veniſſet, aut cum corde & iecinore coniunctior viſa eſſet, aut paruo diſiuncta interuallo, miſeros caſus portẽdebat. Sed vni CRISTO gratia, qui nos tam diræ ſuperſtitioni exemit, quo minus in flammas iugulemus pecudes, & exta ſpirantia conſulamus, aut pulmonem in eum vel illum figuratũ modum capitibus noſtris aut exitium afferre, aut ſalutẽ ſignificare opinemur. Sed ad contemplandas naturæ cauſas, & ſingularum humani corporis partium varios vſus cognoſcendos finxit, quamobrem huius viſceris, quo de agitur, motum pauliſper veſtigemus, neglecta illa priſcorum religione.

Aruſpicinæ vanitas.

Pulmonis motus.

Sanè pulmo ſuapte natura piger deſidêret, nec vnquã ſe moueret, niſi aliunde impelleretur. Nam quòd contrahatur aſpirans, viciſſimq; ſpiritu dilatetur, vt frequenter ducatur cibus animalis, quo maximè vita noſtra ſuſtentatur, thoracis motioni acceptum referat neceſſe eſt. Hinc prouerbio locum eſſe

esse datum iudico, quod appositè torqueri solet in lentos & cessatores, quẽadmodum Plautus in Epidico significat: Dij immortales, soccos iussi adimere pedibus. Pulmo enim, quod perhibent, prius venisset, quàm tu aduenisti mihi. Vulgò id quoq; nostrates crebrò vsurpant, in desides & ignauos homines. Quanquam scio ab Erasmo prouerbij caussam paululo magis diuersam referri: mea tamen non magni interesse putaui, si à viro doctissimo dissentirem. Vter modò nostrum probabiliorem caussam attulit, aliorum iudicio relinquitur; equidem decreui, de laude sua nemini detrahere. Nolo enim quod plerique hodie solent, calumniis & iniuriis commentariolos meos infarcire: id vnum ratus maximè alienum à re literaria, conuiciis insectari quenquam. Liberum tamen est cuique sentire, quod vult: & honestum, quod displicet, refellere aliquãdo alterius opinionem, dum fiant modò omnia hæc citra maledicta. Sed iam redeo ad institutum *In maledicos censores.*

tutum

Pulmonis & cordis mutua opera.

tutum opus. Pulmo, & cor, mutuas operas sibi tradunt. Pulmoni dat sanguinem cor, rursus illi aerem pulmo reddit, parem gratiã reponẽs. Tres namq; viæ ad pulmonem pertinent: duæ nimirum arteriæ vocantur, tertia dicitur vena: arteriarum altera aspera nominatur, altera leuis & venosa. Aspera quidem in gutture assurgit, cæteris partibus residet. Constat ex circulis quibusdam, compositis ad imaginem earum vertebrarum, quæ in spina sunt: ita tamen, vt ex parte exteriore dura & cartilaginosa, ex interiore mollis, & stomachi modo leuis sit. Hic Plinius nescio quo modo dixerit stomachum exteriorem ferri ad ventriculum, asperam verò arteriam interiorem ad pulmonem: cum sensus monstret, arteriam exterius descendentem ad præcordia cum pulmone committi. Sic autem committitur, alteq; penetrat, vt venam arteriosam interiaceat, & arteriam venosam. Proximè pulmonem angustior est: reliquum quod sit, superna petens, longe paten-

Arteria aspera.

patentius ſpectatur attamen vniuerſus eius ductus, qui intus eſt, tergore obducitur, ne aer vltrò citróq; commear s, aut humor acris quiſpiam illapſus, officiat. Id nec ſiccum nimis fuit, ne vox clangoſa mitteretur : quod animantibus collum procerum habentibus contigit, vt gruibus, quas Homerus clangoſem fundere teſtatur, tum aliàs ſæpè, tum Iliados tertio præcipuè.

Ἠΰτε πὲρ καλαγγὴ πέλει οὐρανόθι πρὸ,
Αἵτ' ἐπεὶ οὖν χειμῶνα φύγον, καὶ ἀθέσφατον ὄμβρον.
Κλαγγῇ ταί γε πέτονται ἐπ' ὠκεανοῖο ῥοάων,
Ἀνδράσι πυγμαίοισι φόνον καὶ κῆρα φέρουσαι.
Ἠέριαι δ' ἄρα ταί γε κακὴν ἔριδα προφέρονται.

Neque iuſto avidius conveniſſet, quoniam rauco ſono vox ederetur. Argumento tibi erunt homines grauedinoſi, qui ſtatim in raucitatem incidūt, vbi vocis via bene maduit. Modum igitur tenere oportuit, vt ne pluſculo aridius, humidiusq; euaderet : prouidit enim benefica Natura vocis medulationi, quoad eius fieri potuit. Propterea ligu-lam

lam intus bellissimè finxit, quàm simillimam ei quæ in summo fistularum visitur. Is locus aptissimus voci formandæ, cuius explanata impressio palato adiudicatur citra controuersiam, in primis esse visus est. Non enim, nisi de ampliore sinu in angustũ aer exeat, indeq; rursus erumpat in latiorem, liberioremq; quasi campum, commode vox effici potest. Nam isthæc ligula, cum spiritu inflatur, arteriæ meatum plus minus coangustat, supra se infraq; spaciosum locum relinquens. Sæpè autem oppletur, vt nullam vel perexiguam, vel latiusculam, vel amplam intra se admittat rimulam, quę mutatur pro vocis flexionibus & cursibus.

CAPVT VI.

De Vocis mutatione, & formatione, deq; illius definitione, & organo.

Vocis mutationes. VOcis sanè mutationes totidẽ sunt, quot animorum. Aut enim emittitur acuta, grauis, cita, tarda, magna, parua,

parua,mediocris,leuis,aſpera, contracta,diffuſa:aut continenti ſpiritu,intermiſſo,fracta,ſciſſa,aut flexo ſono,attenuata,inflata. Ipſa ergo vocis modulos temperat,pro animātis arbitratu,nonnihil à muſculis adiuta, quēadmodum Galenus primo de Locis affectis libro ſcriptu reliquit. ἔτι τε πρὸς τούτοις ἡ ἐνδὸν τοῦ λάρυγγος ἐπιγλωττὶς, ἥπερ ἐστὶ τὸ κυριώτατον ὄργανον καὶ φωνῆς. αὐτὴ γὰρ ὑπὸ τῶν μυῶν ἀνοιγομένη τε, καὶ συναγομένη μετρίως ἐργάζεται τὰς φωνὰς, id eſt. Præterea quæ intra laryngē eſt ligula, præcipuū vocis eſt inſtrumentū, ipſa enim à muſculis moderatè abducta,& adducta conformat vocem. Hic obiter te monitum volo,omnes codices, quotquot videre mihi licuit hactenus, mēdoſos eſſe. Propterea legendū cenſeo γλωττὶς, & expungendum ἐπιγλωττὶς,de qua dictione mox dicam. Nam γλωττὶς locus eſt,vnde ſumit initium ſuum vox: de cuius formatione permagna eſt quæſtio. Grammatici & Dialectici, nedum Medici ac Philoſophi inter ſe diſſentiunt.

Vocis organum.

γλωττὶς.

prisci illi Romani sacrificantes se deprehendisse narrent, non aduersantur Medicorũ placitis, nec digni sunt nunc cum sua religione odio.

CAPVT V.

De Pulmone, eiusq́ fibris & motu.

SVB corde pulmo iacet, spongiosius, ideoque spiritus capax, & à tergo ipsi spinæ iunctus: πνεύμων græcè, ab vsu spirandi dictus est. Vnde περιπνευμονία, pulmonis inflammatio nominatur: & qui ita sunt affecti, πνευμονικοὶ nuncupantur: Hos Moderatus Columella pulmonarios vocat. In pulmone enim inest raritas quædam, & assimilis spongiæ mollitudo, ad attrahendum vicissimque reddendam animam aptissima. Quocirca boni latini, spirandi officinam appellare consueuerũt. Qui sanguinis ipsum expertem aiunt, quia rarum esse contuentur, mihi certè falli videntur: cõtinetur enim sanguis

πνεύμων. περιπνευμονία.

Pulmonarij.

ſanguis tum venis per eum diſcurrentibus, tum in molliſſimis finibus ſubſtantiæ adhæreſcentibus ſtagnat. Qui de venis ſtillat, fluitantem ſpumam habet, ex ſubſtantia ſcaturit omnino ſpumoſus, quoniã eſt magis pulmoni alendo, quippe qui aereum humorem, & biliosum ſanguinem depaſcatur plurimum. Animalia autem quibus pulmo ſanguineus eſt (inquit Ariſtoteles) intus calore æſtuante, ſunt aliorum omnium maximè ſitibunda: quibus verò non item, ſed fungoſus, illa parum bibunt. Piſcibus nullus ineſt, ſi quidem nullum animal pulmonẽ ſimul & branchias habere potuit: cæteroquin naturam maximæ temeritatis & imprudentiæ accuſaremus, quam quidem ſcimus in opere faciundo eſſe diligentiſſimam ſuperuacanea, aut vſum non habentia negligentem, neceſſarij nihil quicquã penitus omittentem. Ne igitur inſimulari ea ab aliquo Momo poſſet, nullam etiam partem inanem, & ſine cauſa in piſcibus reliquit: quibus, branchijs

Pulmo an ſanguinis expers.

Piſces pulmone carere.

ſpicitur, vt in nonnullis animalibus, quæ animal item procreāt. Eam planè diuiſionem à Natura ſagaci inde factam cenſeo, vt ſi in parte vna ſeſe oſtentarit affectio, citra tamen noxam altera corpus anhelitu recreet ac foueat. Ea etiā re conduplicantur aures, oculi, nares. Adde etiā, quòd pulmo in multas partes diſtributus, & commodius coramplectitur, & tutius mouetur, quàm continuus. Quo fit, vt in eam mentem impellar, vt Platonem & Ariſtotelem, ex latinis Plautum Ciceronemque dicere interdum pulmones, multitudinis numero, maluiſſe credam, huiuſce viſceris figuram pulchrè callentes. Nec idipſum rudis illa antiquitas ignorauit, quæ pulmonem inciſum, & fibris geminatum, tempus dirimere, ac diē differre credidit: ſimplicē verò, & ferè vniuſmodi, continuare temporum curricula, nullasq; cunctationes & moras afferre. Credibile enim fit, victimis, quas diis variè litabant, aliquando pulmones variare. Si autem eorum fibra aliqua in

Pulmones.

qua in conspectum perobscurè venisset, aut cum corde & iecinore coniunctior visa esset, aut paruo disiuncta interuallo, miseros casus portēdebat. Sed vni CRISTO gratia, qui nos tam diræ superstitioni exemit, quo minus in flammas iugulemus pecudes, & exta spirantia consulamus, aut pulmonem in eum vel illum figuratū modum capitibus nostris aut exitium afferre, aut salutē significare opinemur. Sed ad contemplandas naturæ causas, & singularum humani corporis partium varios vsus cognoscendos finxit, quamobrem huius visceris, quo de agitur, motum paulisper vestigemus, neglecta illa priscorum religione.

Aruspicinæ vanitas.

Pulmonis motus.

Sanè pulmo suapte natura piger desidêret, nec vnquā se moueret, nisi aliunde impelleretur. Nam quòd contrahatur aspirans. vicissimq; spiritu dilatetur, vt frequenter ducatur cibus animalis, quo maximè vita nostra sustentatur, thoracis motioni acceptum referat necesse est. Hinc prouerbio locum esse

esse datum iudico, quod apposite torqueri solet in lentos & cessatores, quemadmodum Plautus in Epidico significat: Dij immortales, soccos iussi adimere pedibus. Pulmo enim, quod perhibent, prius venisset, quàm tu aduenisti mihi. Vulgò id quoq; nostrates crebrò vsurpant, in desides & ignauos homines. Quanquam scio ab Erasmo prouerbij caussam paululo magis diuersam referri: mea tamen non magni interesse putaui, si à viro doctissimo dissentirem. Vter modò nostrum probabiliorem caussam attulit, aliorum iudicio relinquitur: equidem decreui, de laude sua nemini detrahere Nolo enim quod plerique hodie solent, calumniis & iniuriis commentariolos meos infarcire: id vnum ratus maximè alienum à re literaria, conuiciis insectari quenquam. Liberum tamen est cuique sentire, quod vult: & honestum, quod displicet, refellere aliquādo alterius opinionem, dum fiant modò omnia hæc citra maledicta. Sed iam redeo ad institutum

In maledicos censores.

tutum

Pulmonis & cordis mutua opera. tutum opus. Pulmo, & cor, mutuas operas sibi tradunt. Pulmoni dat sanguinem cor, rursus illi aerem pulmo reddit, parem gratiã reponẽs. Tres namq; viæ ad pulmonem pertinent: duæ nimirum arteriæ vocantur, tertia dicitur vena: arteriarum altera aspera nominatur, altera leuis & venosa. *Arteria aspera.* Aspera quidem in gutture assurgit, cæteris partibus residet. Constat ex circulis quibusdam, compositis ad imaginem earum vertebrarum, quæ in spina sunt: ita tamen, vt ex parte exteriore dura & cartilaginosa, ex interiore mollis, & stomachi modo leuis sit. Hic Plinius nescio quo modo dixerit stomachum exteriorem ferri ad venrriculum, asperam verò arteriam interiorem ad pulmonem: cum sensus monstret, arteriam exterius descendentem ad præcordia cum pulmone committi. Sic autem committitur. alteq; penetrat, vt venam arteriosam interiaceat, & arteriam venosam. Proximè pulmonem angustior est: reliquum quod sit, superna petens, longe paten-

patentius ſpectatur attamen vniuerſus eius ductus, qui intus eſt, tergore obducitur, ne aer vltrò citróq; commears, aut humor acris quiſpiam illapſus, officiat. Id nec ſiccum nimis fuit, ne vox clangoſa mitteretur : quod animantibus collum procerum habentibus contigit, vt gtuibus, quas Homerus clangorem fundere teſtatur, tum aliàs ſæpè, tum Iliados tertio præcipuè.

Ἥτε πὲρ καλαγγὴ πέλει οὐρανόθι πρὸ,
Αἵτ' ἐπεὶ οὖν χειμῶνα φύγον, καὶ ἀθέσφατον ὄμβρον.
Κλαγγῇ ταί γε πέτονται ἐπ' ὠκεανοῖο ῥοάων,
Ἀνδράσι πυγμαίοισι φόνον καὶ κῆρα φέρουσαι.
Ἠέριαι δ' ἄρα ταί γε κακὴν ἔριδα προφέρονται.

Neque iuſto avidius conveniſſet, quoniam rauco ſono vox ederetur. Argumento tibi erunt homines grauedinoſi, qui ſtatim in raucitatem incidūt, vbi vocis via bene maduit. Modum igitur tenere oportuit, vt ne pluſculo aridius, humidiusq; euaderet : prouidit enim benefica Natura vocis medulationi, quoad eius fieri potuit. Propterea ligu-

lam

lam intus bellissimè finxit, quàm simillimam ei quæ in summo fistularum visitur. Is locus aptissimus voci formandæ, cuius explanata impressio palato adiudicatur citra controuersiam, in primis esse visus est. Non enim, nisi de ampliore sinu in angustū aer exeat, indeq; rursus erumpat in latiorem, liberioremq; quasi campum, commode vox effici potest. Nam isthæc ligula, cum spiritu inflatur, arteriæ meatum plus minus coangustat, supra se infraq; spaciosum locum relinquens. Sæpè autem oppletur, vt nullam vel perexiguam, vel latiusculam, vel amplam intra se admittat rimulam, quę mutatur pro vocis flexionibus & cursibus.

CAPVT VI.

De Vocis mutatione, & formatione, deq; illius definitione, & organo.

Vocis mutationes.

VOcis sanè mutationes totidē sunt, quot animorum. Aut enim emittitur acuta, grauis, cita, tarda, magna, parua,

parua, mediocris, leuis, aspera, contracta, diffusa: aut continenti spiritu, intermisso, fracta, scissa, aut flexo sono, attenuata, inflata. Ipsa ergo vocis modulos temperat, pro animãtis arbitratu, nonnihil à musculis adiuta, quẽadmodum Galenus primo de Locis affectis libro scriptu reliquit. ἔπι τε πρὸς τούτοις ἡ ἐνδὸν τοῦ λάρυγγος ἐπιγλωττὶς, ἥπερ ἐστὶ τὸ κυριώτατον ὄργανον καὶ φωνῆς. αὐτὴ γὰρ ὑπὸ τῶν μυῶν ἀνοιγομένη τε, καὶ συναγομένη μετρίως ἐργάζεται τὰς φωνὰς, id est. Praeterea quae intra laryngẽ est ligula, praecipuũ vocis est instrumentũ, ipsa enim à musculis moderatè abducta, & adducta conformat vocem. Hic obiter te monitum volo, omnes codices, quotquot videre mihi licuit hactenus, mẽdosos esse. Propterea legendũ censeo γλωττίς, & expungendum ἐπιγλωττίς, de qua dictione mox dicam. Nam γλωττίς locus est, vnde sumit initium suum vox: de cuius formatione permagna est quaestio. Grammatici & Dialectici, nedum Medici ac Philosophi inter se dissentiunt.

Vocis organum.

γλωττίς.

 Demo-

Democritus temerariò & fortuitò corpusculorum concursu omnia efficit, illisq; ad aerem allisis vocem emitti putat. Plato vocem dixit esse, spiritum per os à cogitatione deductum. Epicurus fluxum esse prodidit, emissum à vocantibus, aut à sonantibus, aut à strepentibus: qui quidem vbi consimilibus figuris fit obuius, frangitur, & vt simul ad aures peruenit, facultatē audiendi gignit: vtq; in palatum arteriamve aspe ram incumbit, vox exauditur. Ab Anaxagora fieri traditur, spiritu incidente in aerem solidiorem: vnde & ictus ille reciprocatur, & ad vsq; aures perfertur itidemq; vox resonat, & quasi responsa dat interdum. Stoici voluere, aerem haud commisceri ex effractis particulis. Quamobrem cū semper difficilimum existimauerim ea de re ferre iudicium, de qua magni Philosophi inter se controuersantur, satis mihi esse arbitror, locum duntaxat in præsentia indicasse, vbi vox modulos principio sumit. Huc pertinet, quod instituto operi neutiquam

De vocis formatione opiniones.

quam

quam conuenit, huiuſcemodi perexquiſita de vocis formatione diſputatio, quam quidem in aliud tempus magis idoneum pro meo iure reiicio. Illud tamen te commonuiſſe operæprecium fuerit, Galenum facere cum Ariſtotele, ſummo philoſopho: ſed hoc intereſſe, quod ille planiſſimè de ortu vocis conſcripſit: hic verò, vt de omnibus, obſcuriſſimè, & quàm breuiſſimè. Galeni quidem ſentẽtiam iam percepiſti, Ariſtotelis verò paucis accipe. Is ſanè ſecũdo de Anima libro, quid ſit, quoue modo vox fiat, abſolutiſſima definitione complectitur, ἡ πληγὴ (inquit) τοῦ ἀναπνευομένου ἀέρος ὑπὸ καὶ ἐν τού τοις μορίοις ψυχῆς, πρὸς τὴν καλουμένην ἀρτηρίαν, φωνὴ ἐστι. Nos verbum vèrbo haud reddere curantes, ſic vertimus.

Vox eſt aeris inſpirati colliſio in aſperam arteriam, hoc eſt in ligulam arteriæ interiorem, facta ex appetitu naturali, qui ea parte tanquã apparatu quodã vtitur. Ex his perſpicuũ fit, idẽ planè ſentire Ariſtotelẽ, quod Galenus ſentit. *Vox quid.*

Sed Philosophus breuitatis studiosissimus, nõ tam exquisitè, quã medicus, locũ notauit, atq; descripsit. Quod Galenus λάρυγγα & γλωττίδα appellat, id Aristoteles cùm ἀρτηρίαν, tùm φάρυγγα vocat. Nam paulo antequã vocem definiret, dixerat, τὴν φάρυγγα ὄργανον τῇ ἀναπνοῇ, οὗ δ' ἕνεκα καὶ τὸ μόριον ἐστὶ τοῦτο πνεύμων. Verborum controuersia inter veteres non admodum magna extitit, modò de re ipsa conueniret. Nam tu plerunq; verbum alterum pro altero sumi reperias, à Gtæcis. Aristophanes enim vetustissimus poeta, in Equitibus, λαρυγγιῶ τοὺς ῥήτορας dixit, pro φαρυγγιῶ, hoc est. Illis adimã vocem ne loqui possint, (inquit eius interpres) καὶ φάρυγγος οὐχ οἷοί τε τὴν φωνὴν προΐεσθαι. id est Secto gutture (vt Plinius vertit) vox mitti nequit. Possem ego idipsum multis testimoniis antiquissimorũ cũ poetarum tùm oratorũ confirmare, si vellem. Sed quia ad grauiora festinat oratio, iccirco supersedendum esse duxi. Paulo supra hanc ligulam, extat tegumen-

mentum quoddam, quod à Græcis ἐπιγλωττὶς nuncupatur, quasi ἐπὶ τ̃ γλωττίδ☉ ἑτέρας κειμένη. nos exteriorē ligulam per te vocemus licet. Arteriā asperam sub faucibus assurgentē claudit, cū potionē cibumq; assumimus, ne ex ore in ipsam poculentum quippiā aut esculentum procideret, mox in pulmonem delaberetur: qui quidē ita morosus & delicatus est, vt aerem recipiat, præterea nihil: quin si casu vel panis mica, vel tantillum, quod aere sit paulò densius, deciderit, mirū quam tussis acerba quatit fauces. Alia plerunq; incommoda nascuntur, quæ animal egregiè vexant, & ad summum vitæ discrimen adducunt, & interdum miserè strangulant. Nec aliam ob caussam reor interiisse. Anacreonta Teiū poetam, quàm quod dū liberius Baccho indulgeret, acinus vuæ passæ diuertit in arteriam: eodem quoq; pilum, tum in lactis haustu deerrasse coniicio, cum Fabius ille prætor repentè fatis cōcessit. Id mortis inopinatæ genus, Monachorū familia quæq; miro silētio

Epiglottis.

Anacreon Teius.

Fabius prætor.

cauit, sciuitq;, ne quis in cœna vllo modo loquatur, fit enim sæpissimè, vt interea excidat esca in arteriã, dũ colloquimur inter pocula, quã ad stomachũ ferri omnino oportuit. Sed Platoni tãto philosopho huiusce periculi non venit in mentẽ, qui tradit in nobis diuersas esse vias inter sese coeuntes: alteram stomachũ nominat, alteram arteriam asperam, per illã cibum recipi in ventriculũ κάτω κοιλίαν dictũ: per hanc & potum & aerem in pulmonem delabi putauit. At mire hallucinatur Plato, quem Plutarchus Cheroneus septimo libro τῶν συμποσιακῶν defendere conatur, aduersus Erasistratũ. Primum testimonia tum poetarum, tum medicorũ denunciat: deinde aduersarium refutans, quædam cõminiscitur: extremum rationes affert, quàm verò probabiles, ipse viderit. A poetis igitur & nos exordiamur, quos Platonẽ suum imitatum esse iudicat, & quantum possumus maximè Plutarchi opinionem primo loco confirmemus, deinde an possit refelli

Silentium inter edendum.

Platonis locus.

 consi-

considerabimus, & quicquid falsi profitebitur coarguemus ac explodemus. Alceus planè intercidere potionem in arteriam fatetur, τέγγε (ait) πλεύμονας οἴνῳ, τὸ γὰρ ἄστρον περιτέλλεται, id est, Rigato opus est pulmones canicula oriente. Demiror autem in omnibus codicibus Auli Gellij, & Macrobij, passim legi ἄκρον περιστέλλεται. Locum ergò mēdosum esse arbitror, tum quia poetæ sensus invertitur, tum etiam quia Plutarchus longè aliam lectionem agnoscit. Eupolis idē sensit, ἐν κόλαξι. πίνειν γὰρ ὁ Πρωταγόρας ἐκέλευεν, ἵνα πρὸ τοῦ κυνὸς πλεύμονα ἔκλυτον φορῇ. id est: Potare enim Protagoras iubebat, vt ante aduentum caniculæ madidum pulmonem haberet. Ex hoc loco potes nullo negotio colligere, quomodo Macrobius pristinæ lectioni restituatur, in cuius codice scriptū inuenies Cœlaces: tu expunges, & supponēdum curabis κόλακες: mox Eupolidis comici verba, quæ omnia desunt, repones. Iam vero Euripides, tragicus poeta, non prætereundus est, qui

Gellij & Macrobij locus.

qui in eadem ſententia ſe fuiſſe oſtendit, οἶνος (inquiens) περάσας πλευμόνων διαῤῥοάς. Quid quod Eratoſthenes cecinit, καὶ βαθὺν ἀκράτῳ πνεύμονα τεγγόμενος nō ne tibi videtur cæterorū poetarum opinionem aperte ſatis comprobare? Ecquid de Homero ſentis, vbi loquitur eum in modum de Cyclope, φάρυγγος δ' ἔσυτο οἶνος, ψωμοί τ' ἀνδρόμεοι χωρίς. Fuit ne in eadem hæreſi? ſanè quidem: niſi eum forte abuti gutture volumus pro ſtomacho, quod mihi non ſit admodum veriſimile. Iis ipſis poetis, vetuſtiſſimi, & longè nobiliſſimi medici, Philiſtion Locrus, ac Dioxippus Hippocratius, fermè conſentiunt. Linguam enim ipſam exiguam eſſe adpoſitam tradunt, quaſi moderatricem quandam, & miniſtram, vt edulia quidem cuncta arceret ab arteria, depelleretq; in ſtomachum, potum verò partiretur ventriculo & pulmoni. Præterea, vt quod admitti in pulmonem deberet id neque citatum neque vniuerſum, ſed quaſi obice quodam

Homeri locus.

ſuſten-

ſuſtentatum, retardatúmue ſenſim delaberetur: quodque reliqui eſſet, in ſtomachum reciperetur. Hæc credo Plutarchus diceret in defenſionem Platonis, atque idem eum ſentire, quod Philiſtion & Dioxippus, contenderet. Fac etiam Hippocratem, diuinum illum medicum, extitiſſe authorem ſententiæ Platonis. Quid tum poſtea? Atqui vt homines, errare, decipi, falli, capi potuerunt omnes: niſi Plutarch' rationib' me conuincat, nunquàm latum (quod aiunt) vnguem à Galeno & ab Ariſtotele diſcedam: & ab eo præcipuè, quod toties experientia rerum magiſtra eſt comprobatum. Quod autem Plutarchus dicat, vulnere accepto in arteriam, ſtomacho tamen ſuperſtite, liquorem effluere, & quaſi ductu effracto excidere: id eſt ſplendidum commentitium: quin ſenſu, quo ipſe plurimum nititur, prorſus refellitur. Nec erat quamobrem Eraſiſtrato Ariſtotelis autoritatem, qua nimirum abutitur, opponeret. Aſſeruit ſanè Philoſophus

Plutarchi lapſus.

 in

in commentarijs de Partibus animalium, eas animantes, quibus non est pulmo, vel certe perexiguus, nihil, vel parum sitibundas esse. Quoniam vbi reperitur vsus, & actio quæq; membrum eius proprium ibi etiam reperiri necesse est. Iure enim dicimus, pisces vocales esse nullos, quia collo & arteria aspera carent: nullis item respirandi vsum naturã dedisse, propterea quod nec pulmonem dederit: nulla igitur actio esse pòtest sine suo membro. Equidem hæc omnia, quæ refert suppresso nomine Aristotelis Plutarchus, certissima esse cõcesserim. Sed quia concesserim, non eapropter ei colligẽdum erit, animalia esse minus sitibunda, quia carent pulmone: imò quia minus calent, concluclu dendũ illi fuit. Nam quæcunq; pulmonẽ habent, multo sanguine abundant, atq; longè magis æstuant, quàm ea quibus pulmo defuit. Cur itaq; plus minus sitiant animalia, calorem ipsum causari oportet, nõ pulmonem. Vnum aliud Erasistrato obijcit pro Platone, quod

quod est meo quidem iudicio leuissimum, ac planè ridiculum. Morbo nimirum, ait, qui πάθ@ πλευμονικὸν dicitur, ardorem vehementem ob siccitatem nimiam, vel calorem, illicò induci, atque ideo restinguendæ sitis miram nasci cupiditatem: sitim autem sedari depelliq; non posse, nisi pulmo affatim madeat: quandoquidē contrarias morborum causas medicaminibus contrarijs tollere, medici diligētes solent. Atqui parum attendit vir alioqui doctissimus, quid ex suis verbis concludi necessariò possit. Ego quidem non inficior, quin vt sitis depellatur, pulmonem abūde satis irrorari oporteat: sed aliunde is rore multo perfundi potest, & sitis expleri, quàm quod arteria illuc poculenti quicquam conuehat. Id si non ignorauit, at certe se scire dissimulauit. Medicorum sanè tot ἐκλέγματα, quæ lambendo pulmonarij sensim deglutiunt, admonere eum potuerunt: quæ ob eam excogitata sunt causam, vt medicamenti id genus, quod in gula moram

ram facit, aliquantulumq; residet, per cæca spiramenta commeans arteriam adeat, mox influat ad pulmonē. Quod si rectà per arteriam in pulmonem ferri posse iudicassent sapientissimi medici, nō tantum operæ ponerent in eclegmatibus conficiendis, retinendisque tamdiu in ore, quám diu ad locū confectum penè siti pertineant. Quin etiam huiusmodi morbus, alioqui difficillimus, minoris negotio curaretur, si vera esset Plutarchi opinio: epoto enim liquore, locus affect⁹ maderet, subitoq; sitis restingueretur. Pudet profectò, pudet me referre alia pleraq; argumenta in Erasistratum pro Platone, quæ infirmari ac labefactari à quouis vel mediocriter exercitato medico facillimè possunt. Sed Plutarchus nimio fortassis amore, & incredibili obseruantia cōmotus in parentem Philosophiæ, maluit secū errare quàm cum cæteris optimè sentire. Id autem nō ex quadam abundantia amoris fecit, sed rationes veras excogitasse atq; inuenisse se existimauit

contra Erasistratum, eiusq; patronos, nullo modo excusandus est, at coargudus, at criminandus, & inscitiæ grauiter accusandus. Atqui dixerit quispiam cum Plutarchum criminaris, eodem quoq; criminis genere condemnabis egregios & veteres poëtas. Sed in re seria (vt mea fert opinio) & admodum graui, aliquando poëtis nullam fidem esse habendam censeo. Nam illis audendi multa, fingendiq; mira, data est summa potestas. Etsi Aristoteli, Galeno, alijsque grauissimis scriptoribus, fidem vllam rei dubiæ facere videntur: nisi tamen caussa aliqua reddi queat, ijs non creditur. Nec ob id poetis de sua laude detractum aliquid volo, nec omnino negligendos propterea existimo, quòd nullam rerum cognitionem inde consequi te posse credam. Quin potius charos habere, & plurimùm laudare te iubeo, quos Ennius ille sanctos appellat, quòd quasi Deorum aliquo dono & munere nobis commendati esse videantur: vt legas item, sanè

Poetis non vbiq; fides habenda.

Poetarum vt ilis le-

Poetarum utilis lectio

nè quam diligenter & attentè, do consilium. Ex ijs n. rerum copiam tibi comparabis, & fructū maximū percipies, & voluptatem non pœnitendam capies. Sed non vsqquequaque fidere illis, & te addicere tutum est: quoniam vt eorum mos est: multa cōfingunt, multa sæpissimè mentiuntur, & in abditis naturæ rebus interdū peccant. Sed errati porro huius, quo Plutarchus coarguitur à nobis, simul & poëtæ, authores fuisse oculos, eò adducor coniectura, quòd nobis deglutientib⁹ aut poculenta aut esculenta, gutturis motus manifestò aspicitur; verumtamen gula ipsa cuncta deuorat, cui gutturis pars ea interior, quę inanis, est cartilaginea materia, cōcedens in se subsidet, ac nititur. Quocirca planè liquores descēdere in asperam arteriam ijs ipsis apparet, qui ad vsum illius & stomachi negligēter animum attendūt, fabricamq; incredibilem naturæ parū considerant. Id etiam

Plinij locus

Plinio fortasse imposuit, quod stomachum esse exteriorē autumauit: quemadmo-

admodū supra te commonuimus eius erroris. Asperæ arteriæ ima in parte, qua pulmonem subit, vtrinq; assident, leuis arteria, & vena leuis (vt iam diximus) ex vna duntaxat tunica conflatur: & efficitur, ne reddatur contumax motui: pulmonisne an cordis, perdifficilis est quæstio. Galenus profectò ancipitem, & animi dubium se fuisse præsefert in commentarijs de Vsu partium humani corporis: modò quidē pulmonis, modò verò cordis agitationi adiudicat: attamen propensior in eam opinionem mihi videtur, quæ profitetur cordi magis obedire, quàm pulmoni. Quoniam argumento id ita esse comprobat, quod fidem non leuem facit, sumpto ab aëris effectu: quem si infles, certè quidem pulmones amplificātur, at leuis arteria non item: quod signo tibi esse potest, motum effici ex facultate cordis. At si fortè Galenus vspiam dixerit parêre motioni pulmonis, æqui boniq; consule, prudentisq; interpretis officio fungere, atq; ita parêre existima-

Galeni locus.

stimato, vt aerem ex pulmone accipiat, cordique refrigerando reddat. Interdum etiam occulta quadam vi naturæ fieri potest, vt visceribus vtrisque famuletur. Motionem tamen suam cordi acceptum referre, rationi magis est consentaneum.

Vena arteriosa. Vena autem arteriosa citra omnium controuersiam pulmonum motus sequitur. Cur præterea simplicem tunicam dederit natura, in causa itidẽ fuit, dilatandi atq; cõtrahendi pulmonem magna necessitas. Huic enim ocyus commodiusq; cedit, quàm duplici vigens tunica. Iure igitur hæc vna alio, quàm cæteræ arteriæ: est conflata modo, dissimiliq; præfecta officio.

CAPVT VII.

De Iecore, illiusq; figura, & vsu.

Iecur. IECVR in dextra parte assidet: quibus autem defuerit, nunquam repertum est, etsi partem defuisse eius compererunt aliqui. Quod autem in morte M.

te M. Marcelli nusquam in victima apparuerit, nec C. Mario sacrificanti Vticæ, nec Caio principi ineunti Consulatum, nec Claudio Cæsari eius successori, veneno intereunti fuerit inuentum, fabulosum est. Ego quidem cuncta animalia, quæ sanguine prædita sunt, & iecur & cor necessariò habere existimo. Prętcr enim quàm quod est viscus nobilissimum (vt inquit Phisophiæ deus Plato) tantisper etiam in vita nos tenet, quoad ex ea decedendum est, Vt in mammis delitescunt pusiliæ venæ, in quibus sanguis mutatur in hac infantibus educandis alendisque pernecessarium: sic mediusfidius tam minutæ venæ continentur in iecinore, quàm quæ minutissimæ, vbi succus conficitur, vertiturque in sanguinem alimenti: namq; iterum concoquendi diligentius, author perinsignis semper est habitum à medicis. At prima nouissimaq; cibi administratio, data est partim venticulo, partim cordi cæterisque membris, quæ vltimum ex

sanguine sumunt nutrimentum & incrementum. Os partesque eius facilitatem duntaxat præstant: cibi enim illa minutatim diuisió facit, vt calor facilius conficiendo, expediat. Quare Olympiodorus, & & Albertus cognomento Magnus, qui in stirpibus inesse triplicem concoquendi alimenti locum tradunt, vehementer errant. Iji ipsi primum radicibus tribuunt, alterum stipiti, extremum ramis. Atqui Aristoteles radicibus alimentum iam confectum ex terra capi, secundo de Partib⁹ animalium sic scribit. τὰ μὲν γὰρ φυτὰ λαμβάνει τὴν τροφὴν κατειργασμένην ἐκ διὰ γῆς ταῖς ῥίζαις. διὸ καὶ περίττωμα οὐ γίγνεται τοῖς φυτοῖς. τῇ γὰρ γῇ, καὶ τῇ ἐν αὐτῇ θερμότητι χρῆται ὥσπερ κοιλίᾳ. τὰ δὲ ζῷα πάντα μὲν σχεδόν, τὰ δὲ πορευτικὰ φανερῶς, οἷον γῆν ἐν αὐτοῖς ἔχει τὸ διὰ κοιλίας κύτος, ἐξ ἧς ὥσπερ ἐκεῖνα ταῖς ῥίζαις ταῦτα δεῖ τὴν τροφὴν λαμβάνειν, ὡς τὸ διὰ ἐχομένης πέψεως λάβῃ τέλος. Ex ijs perspicuum est, duplicem locum administrandi cibi plantis adiudicari ab Aristotele, nimirum

Olympiodori & Alberti lapsus.

mirum trunco & ramis: si quis alius est, terræ finibus continetur. Qualem vsum truncus præstat stirpibus, talem quoque præstare nobis iecur credibile est. Ei igitur vitam, quibus felix & optima contigit, ij debent. Quomodo enim testes sunt generi animalium reparando, sobolique propagandæ, alioqui ad nihilum occasuræ: atque oculi benè beatéque sunt vitæ tratraducendæ: sic iecur, sustentandæ vitæ necessarium fuit. Debent etia plurimum inhabitantes saluberrima oppida, quæ sæpissimè iecinoris auspicio condita sunt, Nam immolatis pecoribus, loca quæ depascebantur, vbi domos ædificaturi erant, de eo coniecturam facientes, eligebant. Si sanum integrumq; offendissent, optimè illic habitari posse iudicabant: sin autē liuens vitiosumque apparuisset, de abitione commigrationéque aliò consultabant. Id enim ex vitio pabuli, aquarúmue atque cœli inclementia euenire autumabant. In hoc viscere sano non tan-

Iecinoris vsus.

Iecinoris auspicio condita oppida.

tum sedem modò vaticinij, & euentus signa posuere Romani aruspices: verum etiam in malè affecto formidinem locari à Clearcho video, qui formidolosos λευκηπαλίας vocare consueuit, quòd palleant, metuantque, quibus iecur est vitiatum: pallor enim formidolosis conuenit. Quod autem & hic plerique contendunt, spiritum naturalem residere, quám rectè, eruditi viderint. Miram certè paucitatem iecur habet arteriarum, & illarum quidem minutissimarum. Vndè mendacij coarguuntur apertissimè, qui spiritū naturalem esse defendunt. Non enim rationi est consentaneum, ex vitali spiritu, ac eo perpauco, illic naturalem conflari posse indeq; in corpus vniuersum longe lateq; diffundi. Quod si natura id ipsum studuisset, & multos & ampliusculos eò spiritum riuos deduxisset. Huc accedit, quò membra omnia ab ortu suo nanciscuntur continuò ex temperatione qualitatum, illas quatuor facultates nimirum naturales, attrahendi, reti-

Iecoris arteria.

retinendi, concoquendi, expellendi: calorẽ item excipiunt, qui in hoc breui vitæ cursu ea nunquam deserit, quin vsum maximum ministrat, perpetuóque famulitio sese astringit ipsis facultatibus: & tantisper est in famulatu, dum cordis salutari calore fouetur. Iecur autem sanguinem duntaxat profundit: calorem non potest, sed aliunde mendicat. Propterea vt quid spiritu naturali opus fuit? quippe qui superuacaneus sit futurus, nullique vsui. Quodque sanè membrum calorem de corde iugiter manantem concipit, quo natiuum conseruando, enutritur, & generatur: at spiritum animalem à cerebro habet, ex quo mouetur, ac sentit. Si igitur membra cuncta possunt commodissimè vti illis quatuor facultatibus à natura insitis, in suo opere faciundo, per calorem cordis vitalem, cerebrique animalem spiritum, atque iecinoris sanguinem: non est quod ea comminiscamur quorũ Galenus nusquam meminerit. Nec is quidem, si hoc

tempore ageret in viuis, digna esse censeret, de quibus vlla fieret mentio. Itaque (vt fert mea opinio) spiritus naturalis idem censendus est, quod vitalis: nisi forte quispiam secundum quietem aliubi atque aliubi viderit, malitq; in alia parte corporis generari quàm in iecinore. Quod quidem tametsi est maximè sanguini generando, quippe eius caro humore caloreque ita temperatur, vt quàm sanguis concretus planè iudicetur, nihil aliud: facultatem tamen gignendi naturalem spiritū haud datam esse concesserim. Concedam itidem sentire, sed parum admodum. Perexiguo autem sensu præditum est, vt hoc à stirpibus differat: etsi fortè virus aliquod abscederit in se, sentiatq; neruis icciroo perpaucis ei fuit opus.

Spiritus naturalis & vitalis idē.

Figuram porrò natura indidit quàm cōmodissimam. Intrinsecus enim cauum effecit, extrinsecus gibbum, quod prominens leuiter ventriculo insidet. Et in quatuor distribuitur fibras. ex quo iure Græci ἧπαρ nominarunt, παρὰ τὸ ἐπήρ-

Iecinoris figura.

ἧπαρ.

ἐπῆρθαι καὶ κεκερτῶσθαι. Gibbum autem Romani iecinoris caput vocabāt. Homini grandius, quàm cæteris animalibus, est, ꝓ corporis portione: quoniam maximè calet, humétque multo propterea sanguine indiguit. At ei maximum est, cuius deus venter est, animúsque leui ex causa semper trepidat, & concidit. Obidq; leporem animal formidolosissimum, bina iecinòra circa Birletum, & Theranem in Thracia, in Chæroneso ad Propontidem, habere quidem non crediderim: sed eò excrescere, vt bina esse videantur.

CAPVT VIII.

De Felle, & bilis folliculo.

SVB iecinore cauo, proximè magnam fibram, vesicula angusto ore, & fundo ampliusculo, fellis plena, simplici, sed duriusculo tergore, constituta assidet, vt bilem sibi familiarem, & gratam, cōmodius resorbeat: à Græcis χοληδόχη nuncupatur, hoc est, bilis efferuescentis conceptaculum, quam Fel. χοληδόχ.

pessimi sanguinis recrementũ alij appellant. At quibus iecur oppidò quàm temperatum contigit, ideóque sanguis ipsum subiens dulescit, vitámque longius producit, & valetudinem bonam affert, ijs aut est nihil fellis, aut quàm minimum. Certe in Ponto, & in Chalcide Eubœæ pecori nulli fel esse, memoriæ produnt antiqui authores: at in Naxo quadrupedibus prægrandæ. Felle quæ vacant, etsi venas habent, quas ad intestina id permeat, veterum tamen aliqui diutissimè ipsa viuere existimarunt: eo sanè adducti argumento, quòd cerui, muliqúe, & ex piscibus delphini, fellis expertes, longissimumq; vitę suę cursum conficiunt: quibus tamen est bilis folliculus, plurimo vsui esse solet. Diductus enim in duas partes, veluti propagines, tum ad iecur, tum ad intestinum duodenum pertinet, vt illinc exhauriat bilim, huc eandem euomat: cum ea rursus, quæ fertur ad duodenum, pars interdum alia coalescit, imo ventriculi adherescens:

Felle carentia.

Bilis folliculus.

cens: quæ quidem si grandior quàm decet, extiterit, nobiscum infelicissimè agitur. aut assiduo vomitu ita quatimur, vt Eudemus ille quati solebat olim, quo de Galenus meminit: aut cibus in ventriculo residens, reiecta è folliculo bili, mirandum in modum putrescit. At ea pars quæ duodeno excipitur, intestinis fert opem sæpissimè proritat ea, vt tenacem pituitam, lentumque mucum, quo opplentur, excernant, alioqui desidiosa, pigraq;, nisi aliunde excitarentur. Geminum folliculum repertum fuisse olim commemorant, eumq; magnæ fortunæ spem ostendere aiunt: quemadmodum eo tempore euenit, quo Augustus apud Accium promontorium deuicit fuditq; M. Antonium. Neptuno autem stulta antiquitas dicatum esse putauit, quod æquè ac mari, inest ei amaror multus. *Fel Neptuno dicatū.*

CAPVT IX.

De Liene eiusq; situ, & ratione.

IN sinistra parte aduersus iecur pēdet lien, natura mollis, & rarus longitu- *Lien.*

dinis crassitudinisq; modicæ, figuræ quadratæ, & fermè linguam bubulã referentis. Is, vt inquit Celsus, paulum à costarum regione in vterum excedens, maximà ex parte sub ijs cõditur. Quod si in dextram propendere videretur antiquitus, erat in auspicatum, atq; prodigiosum. Non longè à iecore est, vt purum, clarum, speculiq; modo nitẽs atq; perspicuũ reddat secreta bili atra à sanguine: quæ si casu diuertat copiosior, quàm calore eius confici possit, decolorat faciem. Vnde Stratonicus citharœdus in Caria dictitabat ambulare mortuos: quod omnes Caunij populi Cariæ propè Rhodum, propter lienis vitium miris modis pallerent. Ac verò qui amplum habent lienem, ijs quãdoq; affluentissimus risus prouenit, & ita erumpit, vt etiam si maximè adnitantur, nequeant tamen comprimere, quin latera, os, venas, oculos, vultum occupet. Propterea antiqui risus intemperantiæ sedem in eo posuerunt: id quod Persius poeta non ignorauit, inquiens,

Stratonici citharœdi dictum.

Lien risus sedes.

Sed

Sed sum petulanti splene cachino.

Cursu quoq; impedimento esse vel maximo lienem, creditum est, vt Plautus in Mercatore fidem facit: Genua hunc cursorem deserunt, perij, seditionem facit lien, occupat præcordia. Insectis quidem citra omnium controuersiam, non est lien: quamuis illud tritum verbum Græcis passim vsurpetur, ἔχει καὶ μυῖα σπλῆνα, id est, habet & musca splenem. At pecori in Creta vixdum apparet, eo sanè quod illis in locis herba enascitur, quę minuit lienem pęcoribus ea vescentibus: quare lienosis postea curandis medicamen præstantissimũ excogitatum est à medicis quod ex re ἄσπληνον Cretenses nominauerunt. *Liene carētia.* *ἀσπληνον.*

C A P V T X.

De Renibus, illorumq; pinguedine, & lapillis.

DE visceribus præcipuis posteaquã dici cœptum est, proximum est vt reliqua prosequamur de renibus igitur dicemus. Ii ipsi summis lumbis, sub *Renes.*

imis

imis costis, gemini inhærent. Dexter omnibus elatior, & minus pinguis, sicciorq́;: vtriq; tamen pinguitudo è medio exit, præterquam (inquit Plinius) in vitulo marino. Ea enim pars longè validior est quàm sinistra, valentioremq; renem habet, & altius tollit, vt commodius de vena caua hauriatur humor: è regione constituti, sibi ipsis officerēt, minusque bellè munus suum obirent. Ad hęc si altius sinister assurgeret, à liene, qui maximè accumbit in læuam, comprimeretur. Sin dexter humilius desideret, locus inanis pateret sub iecinore, quod supra lienem aliquanto attollitur. Vtrinq; à parte imarum costarum resumi, ab altera rotundi cōspiciuntur. Venosi sunt, & ventriculos habent, & tunicis super conteguntur. Ab ipsis singuli meatus colore albi ad vesicam feruntur, οὐρητῆρας, siue οὐρανὰς Græci vocant, quòd per eos inde descendentem vrinam in vesicam destillare concipiunt. Bene compacti sunt, ne quippiam præter serum illud sanguinis,

Vreteres.

guinis, quod est admodum tenue, absorberent. Si quid tamen concretius, quàm quod serum vocatur, pariter exuxerint, id depascuntur, vrinamq; illico profundunt. Non atram bilem, non pituitam sugere eis fuit integrum: propterea quod recrassamento referti meatus, ægritudines periculosas parerent, & assiduè infestarent. Ex solidiuscula itidem materia effecti sunt, vt potus acria retrimenta facilius à scarcent. Insunt tamen venarum finibus meatus quidam perangusti, qui ex vena emulgente dicta coalescunt, ij vrinam quidem admittunt, sanguinem verò non item, nisi amplius, quàm loci natura fert, casu pateāt. Id enim temporis sanguinolentam vrinam reddi posse existimo. At quicquid pinguisculi sanguinis vnà cum liquore simili lactis sero, attrahunt in se, concrescit in pinguedinē circa eorum tunicas. Quo circa oues concreto pingui sæpe moriuntur. Sunt enim animalia humida, ideoq; in renibus pinguissima. Putrescente autē pinguedine,

Renum pinguido.

guedine, vapores permulti exhalant, & in renibus coeũt: mox erumpunt, atq; prætervecti arterias petũt cor, arcemq; vitæ occupant, & extremum afferunt exitium. Renes autem habent quadrupedum omnia, quæ animal generãt: at ceruis in Birleto, & Thrane, quaternos esse, memoriæ proditum est, contrà pennatis squamosisq; nullos, homini verò duos semper, vnum nunquã. Propterea id esse, naturæ interpretes iudicãt, quia vnus idoneus minime fuisset, qui tãtum humoris defluentis copiam in se conciperet: nisi in eam magnitudinem creuisset, quæ dedecuisset (opinor) multum. In ipsis aliquando lapilli, vel in meatibus, quos ὑρητῆρας suprà nũcupauimus, impacti inueniuntur, & illi quidem ex materia tenaci concreti. Quin etiã pilos se inuenisse scriptum reliquit Galenus. Qui autem id fieri possit, mea non interest in præsentia disquirere. Non enim loci affecti causas vestigo, sed viscerum sedes persequor, quas hactenus breuiter ostendi: si non

Renum lapilli.

omnes,

omnes, at certè præcipuas, & valde insignes. Erat quidem animus de genitalibus membris paucula dicere. Postea vero quàm eorũ venit in mentem, quæ Commentariolis nostris, qui inscribuntur de Prodigiosis partibus, tradidimus, ijs super sedendum duximus, tum ne eadem repeterentur, tum etiam quod locus iste minus idoneus visus est, mihi præsertim, ad intestinorum ostendendum situm properanti: tum quod longiorem orationem, quàm tu cuperes, ad id comparare oportuisset.

Bassiani commentarii de Prodigiosis partibus.

CAPVT XI.

De Intestinis, illorumq; rectitudine, fibris, loco, & situ.

A Visceribus ad intestina veniendum est, quæ à Græcis ἔντερα, quod in ima corporis parte, hoc est, inferiore aluo clauduntur: vnde ab Aristophane ἐντερωνίς, dicuntur interna nauium. Intestinus quidem vnus est longo circum-

Intestina. *ἔντερα.* *ἐντερωνίς.*

ductu

ductu productus, ſed plura nomina nā-ciſcitur, pro loci figuræq; & vſus varietate. Ideoq; medicorum ſchola in ſex diduxit partes, & eas omnes inteſtina appellauit Galenus, ſigillatimq; ſuis diſtinxit nominibus, hūc ſanè in modum, πρῶτον μὲν τὴν ἔκφυσιν, δεύτερον δὲ τὴν νῆστιν, τρίτον δὲ τὸ λεπτὸν ἔντερον, καὶ τέταρτον τὸ τυφλόν, καὶ πέμπτον τὸ κῶλον, καὶ ἕκτον τὸ ἀπευθυσμένον, id eſt: Primum eſt exortus, ſecundum ieiunum, tertium tenue inteſtinum, quartum cæcum, quintum colum, ſextum rectum. Eadem diſtinctione vtimur tum aliàs, tū maximè ſexto lib. de Anatomicis adminiſtrationib. πρῶτον μὲν οὖν ἡ ἔκφυσις, μετὰ δὲ ταύτην ὅπερ ὀνομάζουσι νῆστιν, ὅτι κενὸν ἀεὶ τροφῆς εὑρίσκεται. τούτῳ ἐφεξῆς ἐστὶ τὸ λεπτὸν, ἐπὶ τούτῳ δὲ ἐστὶ τὸ τυφλὸν καλούμενον, εἶτα τὸ κῶλον, ἐφ᾽ ᾧ κατὰ πέρας ἄχρι τῆς ἕδρας ἐκτέτατο τὸ ἀπευθ. υσμένου ὀνομαζόμενον ἔντερον id eſt: Primum itaq; exortus: ab eo incipit ieiunum dictum, quod ſemper inane alimēti reperiatur: hunc deinceps ſequitur tenue: poſtea, quod cęcum vocatur:

Inteſtinorum nomina.

catur: deinde colum. Ab hoc in extremo ad podicem vsq; porrigitur intestinum, quod rectum appellatur. Ex his ergo palam est, sex maximum intestina recẽseri: quorum tria dicamus gracilia, totidemq; crassa. Ad gracilia plures, quàm ad crassa, pertinent venæ: omnia tamen orbibus implicantur, vt ex illis succus quàmprimũ ad iecur transmittatur: in ijs autem excrementa faciant interea moram, dum egerendi tempus veniat. Crassis intus pinguiuscula quædam substãtia residit, gracilibus autem mucosa. Porrò quia homo est animal excellentissimũ, & ad diuina humanaq; contemplanda natum, & à Deo fictum, ventri ideo & abdomini seruire dedecet. Quamobrem rerum princeps Natura, flexuosis orbibus intestina, quædam pluribus, quædam paucioribus implicauit, ne semper animum habens in patinis, à tam diuino studio auocaretur. Si enim rectis vteretur, illico cibus consumptus, confectusq; exiret, atque rursus eum appeteret, fame dominãte.

Intestinorum orbes.

O Nam

Nam magis auidi sunt ciborum, & insatiabiles, quibus intestina sinuosa minus sunt: quemadmodum ijdem minus solertes, quibus obœsissimus venter contingit. Multa itidem animalia esse in perpetua edēdi cupiditate legimus, quibus sunt recta intestina, vt lupis ceruarijs, & inter aues mergis, & inter mures illis ipsis qui ex putri materia gignũtur. Prudentissimè itaq; ea anfractibus circunduxit, vt succo, quem ex ventriculo permanantem excipiunt, in mora essent, tantisperq; eum complexu suo continerent, quoad venæ meseraicæ exugerent, & in iecur conueherent, vbi in sanguinem mutatur, vnde vniuersa enutriuntur membra corporis. Rectitudo namq; intestini accelerat auiditatem cibi, laxitas auget quemadmodum Aristoteles libro tertio de Partibus animalium tradidit. ὥσπερ (inquit) ὅσα τῶν ζώων ἁπλᾶς ἔχει, ἢ εὐρυχόρους τὰς ὑποδοχάς, τὰ μὲν εἰς πλῆθος γαστρίμαργα, τὰ δὲ εἰς τάχος ἐστί. id est: Animalia, quæ intestina laxa habent, cibum copiosum capiunt:

Intestinorũ rectitudo.

capiunt: quæ verò recta, celerius repetunt. Iam verò in flexus complicata, quanto vsui sunt homini, perspicuũ est. Vtrum autem omne genus fibrarũ habeãt, magna & perdifficilis est quæstio, propterea quòd Galenus videtur sibi dicere pugnantia: modò enim ait, modò negat. Cujuscunq; tamen modi est, dicam meã sententiam, & in quàm paucissima conferam. Equidem puto intestinis esse præcipuã partem fibrarum, *Intestinorum fibræ.* quæ transuersæ dicuntur: nam iis valẽtiora redduntur, ad expellenda recremẽta. At si in tunica eorum intima obliquas cõspici, in extima verò obliquas dixerit quispiam, sciat is Naturam prudenter id fecisse, & ea quidem de caussa, vt validiora essent, minusq; oblæderentur, aut certè ne dissilirent, si forte duriusculi quicquã procideret: ex quo Galenus dictitabat, idipsum naturam constituisse διὰ τὴν δυσπάθειαν, id est, quo minus patiantur. Intestina enim retinendi vim propriam habere, eo quidem inficias: sed sustinendi & sufferen-

di potius facultatem, sic dixerim, quomodo ignē palma tenere nos dicimur, hoc est sufferre & pati, donec excutiamus. Etsi scio controuersari medicos, necdum intet ipsos satis conuenire: mihi tamē placuit, paucis exponere quid sentirem. Vtrum rectè, aliorum sit iudicium. Sensu ne prædita sint, neruosq; habeant, nō est cur dubitare iure quisquam possit: si quidem dolores, quibus interdum ea torquentur, exactissimè sentire, indicio vel maximo esse potuerunt. At de loco, & situ, inter medicos semper fuit magna conttouersia. Ego sequar eam opinionem, quæ probabilior & antiquior esse videtur. Intestinū nimirum quibusdam animantibus ab ore incipiens, quadam via eodem reflectitur, vt sepiæ, & polypo: verum in homine adnixum est in primis ima ventriculi parte, paulum ad dexteriorem cōuersa, summum intestinum, idq; duodecim longum digitos, propterea δωδεκαδάκτυλον à Græcis nominatur, hanc juncturam πυλωρὸν, seu πυλωρὸν græci

Intestina an sensu & neruis prædita.

Intestinorum locus & situs.

Dodecadactylum.
Pylorum.

græci vocant, quoniam portæ modo in inferiores partes, ea quæ corpus alitura sunt, emittit. δωδεκαδάκτυλον Herophilus, medicus valde insignis, ἔκφυσιν vocat. At Cellus noster idipsum simul, & eam partem quam πυλωρὸν modò dixi, iuncturam nominat. Galenus autem planissimè distinxit, secundo libro de Temperamētis sic scribens, ὁ πόρος τὴν χολὴν εἰς τὴν γαστέρα, τὸ ἧπαρ ἐξερεύγεται, τοῖς μὲν διπλοῦς ἐστὶν, τοῖς δὲ ἁπλοῦς. τὰ πολλὰ μὲν οὖν ἁπλοῦς ἐστὶν εἰς τὰ μεταξὺ πυλωροῦ τε καὶ νήστεως ἐκφυόμενος, ὃ δὴ γαστρὸς ἔκφυσιν ὀνομάζουσι. Et septimo de Anatomicis administrationibus idē confirmat his verbis, ἀπὸ μὲν τοῦ κυρτοῦ καὶ γαστρὸς αὖθις ἀρχόμενος, ἄχρι τοῦ πυλωροῦ τε καὶ διὰ τῶν ἐντέρων γενέσεως Verterem quidem, nisi clariora & planiora hæc putarem, quàm vt à me interpretentur. Quare Celsum errare negauerim: dissentire in verbis duntaxat à Galeno, & nonnullis aliis Græcis, contenderim. Is enim noster duas partes inuicem coalitas, vno appellauit nomine:

ἔκφυσις.

Iunctura.

Cor. Celsi locus.

si quidem idipsum, quod nullis implicitum flexibus propagatur, intestinum vocandum non censuit, quemadmodum nec Herophilus, nec plerique alij. Hoc Galenus tum alias sæpè, tum libro sexto Anatomicarum administrationum testatus est ἔνιοι δὲ (inquit) εὔπω καλεῖν ἀξιοῦσιν ἔντερον αὐτὸ, πρὶν εἰς ἕλικας ἐλίττεσθαι. καὶ διὰ τοῦτο προσαγορεύουσιν, οἱ μὲν ἁπλῶς ἔκφυσιν, οἱ δὲ μετὰ τοῦ προσθῆναι δώδεκα δάκτυλον. id est: Nonnulli intestinum ipsum nominandum necdum existimant, priusquam sinuari incipiat. Ob idque aliqui simpliciter exortum, aliqui non sine adiunctione, exortum dodecadactylum, hoc est duodenum. Cuiuscuuq; tamen modi res habet, id vnum suspicor, Celsum in re tam leui nō hallucinari: sed ex eo calumniatoribus ad reprehendendum ansam dedisse, quod rem medicam compendiò tradidit, & in quàm paucissima retulit, atque adeò multa in vniuersum attigit, quæ postea Galenus nominatim persecutus est exactissimè: multa item

item præterijt, & illa quidem consultò, breuitatis summoperè studiosus, sicut haud multo antè, quàm de duodeno loqueretur, dixit succũ ex imo ventriculo in intestina, quę excreturi sumus, emitti: non ea re profectò, quia is sit præcipuus intestinorũ vsus, sed præterquàm quod membris intra corpus deducunt quantum alimenti cõcoctum est, illum etiam præstant vsum, vt excrementa emittant. At illud omisisse Celsum, non ignorasse: hoc obiter docuisse, non diligenter examinasse, veri est simile: quãdoquidem ei esset in animo, nolle sigillatim omnia persequi: multa dixit, multa vel præcipua cãdido ac docto lectori intelligẽda reliquit. Itaq; moleste ferendum est, Cornelium Celsum, qui ex medicis Latinis vnus nobis superest, à quoquam temere accusari, pręsertim cum æqui iudices in eum esse possumus. Cæterum Herophilus duodenum eò sanè dicendum existimauit, quia ex pyloro primum exoriatur. Pylorus est, iustus ac diligens custos, & ia- Pylorus.

nitor, qui non antè permittit è ventriculo quicquam exire, quàm quod est in succum conuersumque atque concoctum. Duodenum fuit rectum, vt loco cederet venæ magnæ, pariter & arteriç, quæ propagantur inde ad mesenteriũ. Sinuosum enim volumen, locum vniuersum occupasset. Ac verò in id bilis primum ex folliculo suo profluit, deinde miro & occulto naturæ artificio iter ei intercluditur, vt refluere nequeat. Vnde non iniuria Galenus in ipsos inuehitur, qui naturam temerè & fortuitò nihil non efficere asserunt. Huic coalescit intestinum, Græcè νῆστις dictum, id est, Ieiunum, quòd nunquam quod accipit continet, sed ad inferna protinus transmittit. Alia autem intestina haud sic inania reperiuntur. Varro hilam, siue hiram nuncupat, ab hilo, id est, minuto quodam apice, qui fabæ grano adhæret. Hinc iocus (ne Ciceronis locum prætereamus subobscurum) natus est, in C. Hirrum cõpetitorem M. Cælij. Secundo enim Epistolarum

Ieiunum intestinum.

Hila. Hilum.

Ciceronis locus.

rum

tum familiarium libro, Hilum per vnicum l appellat, hoc est hominem minimi æstimandum, & hili faciendum: quē Cælius proprio nomine Hirrum, octuo libro vocat. Propterea Cicero in gratiam amici, dicit, se esse balbum, & lingua præter suam opinionem hæsitantem: nam balbi, qualis fuit Demosthenes, r literam per l solent pronunciare. Se autem Balbum simulat, vt irrideat Caium Hirrum, minime dignum qui cum M. Cælio peteret. Scio codices Ciceronis varios reperiri: attamen hanc lectionem ego magis probo. At si qui sunt, qui aliquam agnoscant, mihi meam relinquant, ipsi suam tueantur. Sed ad rem, de qua est iam institutus sermo, redeo. Hoc quidem intestino nullum iecinori proximius est, nullum item flexuosis orbibus plenius, quippe quod pluribus venis abundet, vt Galenus libro sexto τῆς θεραπευτικῆς innuit ἔνια μὲν οὖν τὰ παχέα τῶν ἐντέρων, δυνατώτερα δὲ τὰ λεπτά. παντάπασι δὲ ἀνίατος ἡ νῆστις, διὰ τὸ πλῆθος,

καὶ τὸ μέγεθος τῶν ἀγγείων, καὶ τὸ λεπτὸν, καὶ νευρῶδες τοῦ χιτῶνος. id eſt: Senatu itaque facilia ſunt craſſa inteſtina, difficilia autem tenuia. Ieiunum omnino nullam recipit curationem, tum quòd multis & magnis venis abundat, tum quòd tenuis & neruoſa eſt eius tunica. Non defuerunt tamen hoc in loco, qui Celſo crimini dent, quod ieiunum inteſtinum paucioribus anfractibus, quàm tenue refertum, dixiſſe crediderint. At iſti, mea quidem ſententia, parum attendunt quid dicant: & Celſo id imponunt, quod nec ſecundum quietem cogitaſſet. Verba eius ex libro quarto deſcripſi. Ab ea (ait) ieiunum inteſtinum incipit, non ita implicitum: cui tale vocabulum eſt, quia nunquam quod accipit continet, ſed protinus in inferiores partes tranſmittit: hæc ille. Quæ ſi quis oſcitanter legat, non ſolum iudicabit minus in ſinus implicari quàm tenue, verumetiam quàm duodenum, quod quidem rectiſſimum eſt. Quocirca qui diligenter

Celſi locus.

ter omnia examinare volet, is nimirum non cõmittet, vt Celsus sine caussa grauiter reprehendatur. Sensus igitur verborum, opinor, hic est: Superior scilicet ieiuni pars, quę incipit à duodeno, quæ iunctura ab eo dicitur, non tam orbibus implicatur, quàm quod eius reliquũ fit. Propterea qui ad consequentia solum retulerunt, vehementer falsi sunt: qui verò ad antecedentia, longè grauius errauerunt. Inde tenue intestinum est, ἴλεον à Græcis dictum παρὰ τὸ ἰλεῖν, à circumactione doloris eius qui ἴλεος, hoc est voluulus nuncupatur; quo quidem qui tentatur, sese circumagit, & conuoluit, ἄλλοτ' ἐπὶ πλευράς κατακείμενος, ἄλλοτε δ' αὖτε ὕπτιος, ἄλλοτε δὲ πρηνής, τότε δ' ὀρθὸς ἀναστὰς δινεύει ἀλύων. Est enim dolor acerbus, & intolerabilis, & omnino exitialis. Idne in plures sinus, quàm ieiunum implicetur, Galenus sexto libro Anatomicarũ administrationũ obiter nobis commonstrauit, omnemq; controuersiam sustulit, paucis hisce verbis.

Tenue intestinum. ἴλεον

τοῦ τε

τούτῳ δ' ἐφεξῆς ἐστὶ τὸ λεπτὸν, καὶ κατὰ μὲν τὴν οὐσίαν ταυτὸν τῷδε, διαφέρον δὲ τῷ μήτε κενὸν εὑρίσκεσθαι, μήτε τοσούτων ἔχειν ἀγγείων πλῆθος. id est: Hoc sequitur deinceps tenue intestinum, substãtia quidem simile, at eo dissimile, quod neque inane reperitur, neq; tot venas habet. Sed vbicunq; maior venarũ numerus cernitur, ibi etiam plures anfractus sint oportet. Ieiunum igitur, citra omnium controuersiam, erit magis implicitum, quám intestinum tenue. Quod autem Celsi autoritatem mihi obijciunt, non multum laboro: à me enim stat potius quàm ab aduersarijs, atque à verò contra mendacium facit. Is quidem ait, intestinũ tenue in sinus vehementer implicitum: at nõ magis dicit, quàm ieiunum. Ieiunum item implicitum tradit, at non paucioribus orbibus conuolutum, nec paucioribus venis prȩditum, quàm tenue intestinum affirmat. Rectè sanè Celsus sentit, atq; cum Galeno facit. Sed facile est cuiq; malo interpreti, & scriptum potius quàm sententiam con-

Celsi locus

consectanti, veteres illos calumniari, quos penè nihil scitu dignum ignorasse censeo. Quod si interdū dormitasse nobis ipsi videntur, id totum nostræ inscitiæ & negligentiæ tribui malo. Quotus amabò quisq; est, vel medicus, vel philosophus, qui sese illis æquare audeat? nemo sanè, nisi quis egregiè impudens. Tantum enim abest vt quispiam hodie eloquens dicatur, & doctus, vt planè infantissimus ac indoctissimus præ antiquis iure haberi possit. Certe quidem vnus Celsus de illis bonis scriptoribus superauit, cuius perspicuitatem orationis, & dicendi copiam, ac multarum rerum cognitionem admiror: quæ omnia post hominum memoriam, nescio an vllus medicus consecutus sit: in posterum etiam coniectura auguror, vel summo ornatum ingenio cōsecuturum neminem. Proinde Celsum quasi parentem & deum medicinæ latinæ obseruo, & colo, colámque quoad vixero. Valeant ergo, qui tam negligenter tantos eius commentarios legunt,

Veterum censores.

Cor Celsi laus.

legunt, mendacijsque refertos esse putant.

Cæcum intestinum.

Deinde id intestinum cum crassiori altero committitur, quod cæcum dicitur, quia duo habet ora, ita exiguo interuallo inter se disiuncta, vt nescias statuere, vtrum duo aut vnũ sit. certum tamen est, per alterum, idipsum accipi ab intestino tenui, ꝙ per alterum reijcitur in colon.

Colon.

Huc primũ excrementa delabuntur, deinde in colo demolita efformãtur: hic vermes de putri materia enatos, delitescere multi commemorant Hócne verum sit, sensu doceri possumus. Ego quidẽ in dissecto cadauere cæcum intestinum verminans nunquam conspexi. Secundum hoc proximè est intestinum plenius, & laxius, quod Iulius Pollux κῶλον dici existimat, ἀπὸ τοῦ κολάζεσθαι, διὰ τὸ φέρειν τὸ ἐν αὐτῷ πάθος τοῖς σώμασιν ὀξείας ἀλγηδόνας. dolorum namque magna caussa est. Equidem suspicor, esse nominandum potius κοῖλον quàm κῶλον, quod multos habet sinus & cellulas. Inuolutum

κῶλον.

tum reni ſiniſtro adheret, ita quidem, vt ſæpe dolor eius medicis imponat, & ancipites reddat, quo min⁹ decernant vbi dolor inſederit, colóne, an renibus. Galenum certè medicum perilluſtrem ſemel fefellit, qui opinabatur ſe ex renibus laborare. At nō multo pòſt, quàm ſpectauit depoſita excrementa, opinione falſum ſe cognouit, atq; colon eſſe affectum dijudicauit. Ex quo datis ſignis certiſſimis internoſcendi locorum affectiones, ſuo periculo nos cautos fecit. Inter cætera id ſigni eſſe voluit, & quòd affecto colo perinde inheret altè dolor, immotuſque perſtat, ac ſi renes tentarentur: & quòd doloris acerbitas latus fodicat, & quaſi acus quædam impacta pungit & perforat, id extremum in renum morbo non ſentitur. Alij verò non obſcuri nominis medici, dolorem coli ſumpto cibo magis atque magis creſcere & exacerbari aiunt: renum autem leuari, mitioremque fieri.

Renum & Coli dolor quo differant.

Porrò iſtud inteſtinum altius, quàm

cæte-

cętera, assurgit in aluo, vt omēti liquore pingui confoueatur, fecésque in eo quæcunq; induruerint remolliantur. Præterea in ædito loco positum, commodius bilem è folliculo exeuntē excipit, quę excremento est dimouendo, & amoliendo. Cum quibusdam autem membranulis à sinistro rene venientibus iungitur: atq; hinc dextra recuruatum, in imò dirigitur, qua excernit: ideoque id ibi rectum intestinum nominatur. Contegit verò vniuersa hęc pingue ac tenue omentum, ἐπίπλοον Græce dictum, præterquàm in animantibus oua gignentibus ex superiore parte læue ac strictum, ex superiore mollius: cui adeps quoq; innascitur, quę sensu, sicut cerebrū etiam, & medulla, caret. Verumenimuero commemorata intestina, ne dum animal salit, aut humi procumbit, aut ictum extrinsecus experitur, afficiantur, & dissiliant, tunicam valentissimam natura machinata est ęam Græci μεσεντέριον appellant, Cicero intestinum medium vertit: recténe,

Omentum. ἐπίπλοον.

ctene, viderit Budæus. De hac re profectò dicerē meam sentētiam, nisi scirem Floridvm Sabinvm, iuuenem & ingenio & memoria sanè quàm præstantem, atque adeò (quod per paucis hodie contigit) sanctis moribus præditum, doctè & diligenter disputasse adversus Budæum in suis iam editis in lucem Commentarijs. Huc etiam accedit Albanus Hyllus Britannus ille medicus nobilissimus atq, optimus, & in omni disciplinarum genere maximè versatus, qui multa in Galenum conscripsit, quæ ad hanc litē dirimendā pertinere videntur. Theodorus Gaza, vir meherclè inter Atticos atticissim⁹, & inter Latinos latinissimus, nescio quo pacto maluit interpretari lactes, quàm tutò voce græca vti. Quin lactes ea dicuntur molliora intestina, quæ primum occurrant in homine. & oue, vt inquit Plinius: nimirum duodenum, ieiunum, ileon. Plautus in Pseudulo, sub persona Ballionis, id ita planissimè esse ostendit: Quia pol qua opera credā tibi, vna opera alligem fugitiuum canē agni-

Francisc. Floridus Sabinus.

Albanus Hillus medicus.

Theodo- Gaza.

Lactes.

Plauti locus. nis lactibus: id est, q alligat intestinis agni molliotibus canem, is non modò canem amittit, verum & prædam vltrò dederit fugitiuo: sic qui credit homini malæ fidei, perdit, & frustra obligatū habet eum, qui nō est soluendo. Idem in Curcul. Ita cibi vacuitate venio lassis lactibus. nam à verbo licio deducuntur, quod cibū alliciant: siue à lacte, propter mollitiem, aut propter candorē pinguetudinis, denominari mauis, non multum laboro. Alij verò appellatione lactiū venire putant, pinguia & crassa intestina, vt inquit Probus. vnde Persius, lactes vnctos dixit. Suetonius in Vitellio, murenarum lactes vocat: sicut Spartianus etiam, luporum. Vt vt res habet, Theodorus mea quidem sententia fallitur, aut certè nomine abutitur. Nonnulli autē medianum nuncuparunt. Nos aūt peregrina voce vtentes, mesenteriū parte appellemus licet. Est enim, vt definit Iulius Pollux, ὑμὴν ἐκ φλεβῶν καὶ νεύρων συμπλοκῆς, νεφροῖς δὲ καὶ κοιλίᾳ γειτνιᾷ, τὴν τροφὴν ἀναπέμπων εἰς τὸ ἧπαρ. hoc est: Membrana est, ex venarum &

Medianum.

rum &

tum & neruorum complexu, renibus & ventri proxima, alimentum conuehens in iecur. Membranam appellat, quam nos tunicam valentem suprà vocauimus. Est sanè omento similis, referta glandulosa carne, venas è iecore longo tractu productas sustinens, tutasq; reddens, in medio intestinorũ sita est. Vnde nomẽ habuisse, tradit Galenus: qui libro sexto de Anatomicis administrationibus, sic scribit. τὸ μεσεντέριον, ὃ καὶ μεσάραιον ὀνομάζουσιν, ἀπὸ τῶν συμβεβηκότων αὐτῷ τὰς προσηγορίας ἀμφοτέρας θεασάμενοι, μεσεντέριον ἀπὸ τῆς θέσεως, μεσάραιον δὲ ἀπὸ τῆς οἰκείας οὐσίας. μέσον γὰρ τέτακται τῶν ἐντέρων, καὶ πάσας τὰς ἐξ ἥπατος εἰς αὐτὸ καταφερομένας φλέβας, ἅμα ταῖς παρακειμέναις ἀρτηρίαις τε καὶ νεύροις ἐν κύκλῳ περιλαμβάνει, καθάπερ ἕκαστον τῶν ἐντέρων. id est: Mesenterium, quod & mesaræon nominant, ab accidentibus ipsi vtroq; nomine indito, mesenterio quidem à situ, mesaræo verò à propria substantia: etenim mediũ sitũ est inter intestina, & omnes è iecinore in ipsum descendentes venas

vnà cum vicinis arterijs & neruis in orbē complectitur, quemadmodum ſingula inteſtina. Ita & Aëtius, menſenterium ab inteſtinis diſtinguit, vt & omnes alij, qui hac de re accuratè ſcripſerunt. Ex quo planiſſimum eſt, fucum autorum, Macrobium, vehementer erraſſe, quòd inter inteſtina meſenterium retulit Hęc habui, quæ de Humana Hiſtoria breuiter dicerem. Si qua verò te offendent, celeritati feſtinationiq; meæ ignoſces. Scis enim quàm paucos dies, grauiorib⁹ ſtudijs diſtrictus, hiſce duob⁹ libris conſcribendis dederim. Qualeſcunque tamen ſunt, eos ad te mittendos curaui, ratus pro tua incredibili beneuolentia, qua me ſemper proſecutus es, quòd iam abſoluerim, fore tibi gratiſſimos. Fruere igitur: autoritateque tua, quæ quidem ſumma eſt, ab ijs tuere, ac defende, qui de aliorũ ſcriptis ſe iniquos iudices conſtituunt: cum in ipſos, qui in lucem nihil ediderunt, hactenus nullus ſederit iudex. Vale.

Macrobius autorum fucum.

Patauij.

INDEX

INDEX RERVM ET VERBORVM QVÆ IN TOTO OPERE CONTINENTVR.

D

Digi-

cętera, assurgit in aluo, vt omēti liquore pingui confoueatur, fecésque in eo quæcunq; induruerint remolliantur. Præterea in ædito loco positum, commodius bilem è folliculo exeuntē excipit, quę excremento est dimouendo, & amoliendo. Cum quibusdam autem membranulis à sinistro rene venientibus iungitur: atq; hinc dextra recuruatum, in imò dirigitur, qua excernit: ideoque id ibi rectum intestinum nominatur. Contegit verò vniuersa hęc pingue ac tenue omentum, ἐπίπλοον Græce dictum, præterquàm in animantibus oua gignentibus ex superiore parte læue ac strictum, ex superiore mollius: cui adeps quoq; innascitur, quę sensu, sicut cerebrū etiam, & medulla, caret. Verumenimuero commemorata intestina, ne dum animal salit, aut humi procumbit, aut ictum extrinsecus experitur, afficiantur, & dissiliant, tunicam valentissimam natura machinata est ęam Græci μεσεντέριον appellant, Cicero intestinum medium vertit: recténe,

Omentum. ἐπίπλοον.

cténe, viderit Budæus. De hac re profectò dicerẽ meam sentẽtiam, nisi scirem Floridvm Sabinvm, iuuenem & ingenio & memoria sanè quàm præstantem, atque adeò (quod per paucis hodie contigit) sanctis moribus præditum, doctè & diligenter disputasse adversus Budæum in suis iam editis in lucem Commentarijs. Huc etiam accedit Albanus Hyllus Britannus ille medicus nobilissimus atq; optimus, & in omni disciplinarum genere maximè versatus, qui multa in Galenum conscripsit, quæ ad hanc litẽ dirimendã pertinere videntur. Theodorus Gaza, vir mehercle inter Atticos atticissim[9], & inter Latinos latinissimus, nescio quo pacto maluit interpretari lactes, quàm tutò voce græca vti. Quin lactes ea dicuntur molliora intestina, quæ primum occurrant in homine. & oue, vt inquit Plinius: nimirum duodenum, ieiunum, ileon. Plautus in Pseudulo, sub persona Ballionis, id ita planissimè esse ostendit: Quia pol qua opera credã tibi, vna opera alligem fugitiuum canẽ agni-

Francisc. Floridus Sabinus.

Albanus Hillus medicus.

Theodo. Gaza.

Lactes.

tum & neruorum complexu, renibus & ventri proxima, alimentum conuehens in iecur. Membranam appellat, quam nos tunicam valentem suprà vocauimus. Est sanè omento similis, referta glandulosa carne, venas è iecore longo tractu productas sustinens, tutasq; reddens, in medio intestinorũ sita est. Vnde nomẽ habuisse, tradit Galenus: qui libro sexto de Anatomicis administrationibus, sic scribit. τὸ μεσεντέριον, ὃ καὶ μεσάραιον ὀνομάζουσιν, ἀπὸ τῶν συμβεβηκότων αὐτῷ τὰς προσηγορίας ἀμφοτέρας θεασάμενοι, μεσεντέριον ἀπὸ τῆς θέσεως, μεσάραιον δὲ ἀπὸ τῆς οἰκείας οὐσίας. μέσον γὰρ τέτακται τῶν ἐντέρων, καὶ πάσας τὰς ἐξ ἥπατος εἰς αὐτὸ καταφερομένας φλέβας, ἅμα ταῖς παρακειμέναις ἀρτηρίαις τε καὶ νεύροις ἐν κύκλῳ περιλαμβάνει, καθάπερ ἕκαστον τῶν ἐντέρων. id est: Mesenterium, quod & mesaræon nominant, ab accidentibus ipsi vtroq; nomine indito, mesenterio quidem à situ, mesaræo verò à propria substantia: etenim mediũ situ est inter intestina, & omnes è iecinore in ipsum descendentes venas

vnà cum vicinis arterijs & neruis in orbē complectitur, quemadmodum singula intestina. Ita & Aëtius, mensenterium ab intestinis distinguit, vt & omnes alij, qui hac de re accuratè scripserunt. Ex quo planissimum est, fucum autorum, Macrobium, vehementer errasse, quod inter intestina mesenterium retulit. Hęc habui, quæ de Humana Historia breuiter dicerem. Si qua verò te offendent, celeritati festinationiq; meæ ignosces. Scis enim quàm paucos dies, grauiorib⁹ studijs districtus, hisce duob⁹ libris conscribendis dederim. Qualescunque tamen sunt, eos ad te mittendos curaui, ratus pro tua incredibili beneuolentia, qua me semper prosecutus es, quòd iam absoluerim, fore tibi gratissimos. Fruere igitur: autoritateque tua, quæ quidem summa est, ab ijs tuere, ac defende, qui de aliorũ scriptis se iniquos iudices constituunt: cum in ipsos, qui in lucem nihil ediderunt, hactenus nullus sederit iudex. Vale.

Patauij.

Macrobius autorum fucus.

INDEX

INDEX RERVM ET VERBORVM QVÆ IN TOTO OPERE CONTINENTVR.

Cerebri

Digi-

Iudicii

Sen-

Venam

FINIS.



